



**Causae cur electores, principes, aliique Augustanae  
Confessioni coniuncti status, ad impium Concilium a?  
Pontifice Pio III. Tridenti indictum, non accedant, : Addita  
simul commemoratione, sacrarum literarum testimonij  
confirmata, Quae eius Concilij, aliorumq[ue], omnium  
Pontificiorum decretorum, & Continuationis ratio sit ... Item.  
Responsum datum legatis pontificijs Zachariae Delphino  
Episcopo Pharensi patricio Veneto, & Commandeno Episcopo  
Iacenthino, in conuentu Naumburgensi, Anno 1561.**

<https://hdl.handle.net/1874/430203>

9c.

2

# CAVSAE

CVR ELECTORES,

PRINCIPES, ALIIQUE

Augustanae Confessioni coniuncti status, ad  
impium Concilium à Pontifice Pio III. Tri-  
denti indictum, non accedant, Addita simul  
commemoratione, sacrarum literarum testimo-  
nijs confirmata, Quæ eius Concilij, aliorumq,  
omnium Pontificiorum decretorum, & Conti-  
nuationis ratio sit, Quibusq, conditionibus &  
Qualitatibus idem status Augustanae Confes-  
sionis, in Concilijs Imperialibus alijsq, conuen-  
tibus, ad Concilium Generale, pium, liberum,  
legitimum, & Oecumenicum, in Ger-

mania, prouocarint, atq,

nunc prouocent.

ITEM.

RESPONSVM D A-  
TVM LEGATIS PONTI-  
ficijs Zachariae Delphino Episcopo Pharense  
patricio Veneto, & Commandeno Episcopo  
Iacenthino, in conuentu Naum-  
burgensi, Anno

1561.

SIC EDITA, PROUTILLA CRESCE  
reæ Maiestati tradita & oblata sunt.

VITEBERGÆ M. D. LXIII.

2 V A C

2 E P O C H A

2 E P O C H A

2 E P O C H A

2 E P O C H A

2 E P O C H A

2 E P O C H A

2 E P O C H A

2 E P O C H A

2 E P O C H A

2 E P O C H A

2 E P O C H A

2 E P O C H A

2 E P O C H A

2 E P O C H A

2 E P O C H A

**EPISTOLA AD CÆ-  
SAREAM MAIESTATEM,**  
qua sequens Scriptum FRANCOFOR-

**T I** *Cæsareæ Maiestati ob-  
latum est.*



Nuictissime & potentissime Imperator, clementissime Domine, Quid Cæs. Mai. uestra in conuētu Neoburgensi superiori anno per Oratores suos in causa Tridentini Cōcilij à Pio quarto indicti nobis Legatisq; nostris Augustanæ Confessionis addictis proponendum curauerit, & quid Cæs. Mai. uestræ Oratoribus à nobis responsum sit, eorū relationem satis supercq; factā & apud Maiestatem uestrā in recentissima memoria esse prorsus non dubitamus.

Quandoquidem autem Cæsarea Maiestas uestra ex illis responsionib; sententiam uoluntatemq; nostram sine dubio euidentissimè cognouit, (nempe quòd etsi in his mutuis religiōnum dissensionib; non minus, quam Cæsarea Maiestas uestra ceteriq; Christiani

Christiani nominis Reges & Principes, ex  
animo petimus & optamus, ut concilium  
quoddam illis conditionibus &  
qualitatibus, de quibus à multis annis  
conuentum est, quæcùm alia sunt  
in Augustanis Comitijs anni 59. & in  
Neoburgensi conuentu repetitæ sunt,  
instructum indicatur & celebretur, in  
hoc tamen Pij Quarti Concilio, quod  
Tridenti continuatur, non sit ea ra-  
tio, ut possit pro Concilio tali, libero  
uidelicet, pio & Oecumenico, repu-  
tari) non potest non persuasissimum  
nobis esse, Cæsaream uestram Maies-  
statem interea temporis in illam cura  
cogitationemque sedulò incubuisse, quis  
bus rationibus Oecumenicum, libe-  
rum, piut uel Orthodoxum & non  
suspectum Concilium, non cvidem à  
Pontifice, cui nec Diuino, nec hu-  
mano ure id competit, sed potius à  
Cæsarea uestra Majestate ex Consilio  
cum Electorum tūm aliorum Princis-  
pum sacri Romani Imperij, tūm alio-  
rum etiam Christiani nominis regum  
& op-

& optimatum indicatur, instituatur et  
celebretur, prout idem à Veteribus  
omni prædicatione dignissimis Impes-  
tatoribus, Constantino, Martiano, Lu-  
stiniiano & alijs in nullis facitatum  
esse, ex fide dignissimis historijs constat.

Quòd enim à Pontificibus indi-  
cta habitaq; Concilia, ad tollendas in  
Ecclesia corruptelas, dissensiones, aliz-  
oscq; morbos non tantum non profue-  
rint, uerùm etiam occasiones ut pluri-  
mum præbuerint maioribus animorū  
& voluntatum distractionibus, perse-  
quutionibus, bellis & lanienis, ut inte-  
tim de eo, quòd ontlices conciliorū  
suorum prætextū & utoritate sui qui-  
dem dominatus confirmationem &  
amplificationem, Imperiorum autem  
& omnium politicorum gubernatorū  
oppressionem perpetuamq; seruitutē  
quæsierint, nihil dicamus: Id nimirum  
et acta pleraq; & multorum annorum  
historiae luculentissimè testatur. Quid  
quod nos ipsi unā cōsilio elarea Mai-  
uestra sepissime taliā alii, experti su-

mus non sine dispendijs, vulneribus  
& doloribus nostris?

Eam igitur ob causam ab omnibus  
omniū nationū pijs & prudentibus ita  
iudicari cœpit, alias sanctorum Ec-  
clesiae uulnerum rationes ineundas  
& alia remēdia instituenda esse. Ac id  
quidem à laudatissimo Imperatore Ca-  
rolo Quinto Maiestatis uestrę dilectissi-  
mo fratre ita factum est, ut ad mutu-  
am in Religione consensionem, & ad  
ueram diuturnamq; pacem, concordiam  
& tranquillitatem instituendā atq;  
stabiiliendam censuerit, nihil magis  
oportunum & idoneum esse, quam si  
pium quoddam et liberum concilium,  
in quo sepositis omnibus alijs præiudi-  
cijs ex solo solius Dei iudicaretur uer-  
bo, institueretur, quod non in Italia  
sed in Germania haberetur atq; cele-  
braretur. Id enim in Smalcaldico  
conuentu anni 37. ab Oratore Cæsa-  
reo Matthia Helto Doctore & Vice-  
cancellario pronunciatū ita est: Quod  
ipsum tamen multō etiam ante in Co-  
mitijs

Comitijs Norimbergensibus anni 24.  
unanimi consensu constitutum fuerat  
inter Imperatorem, Electores, cæteros=que  
sacri Romani Imperij Principes  
additis simul solennibus cautionibus  
& assecurationum diplomatis. Idem  
autem in alijs sequentibus Comitijs, &  
præsertim anno 33. solenniter non  
tantum repetitum, uerum etiam magis  
magisq; stabilitum est.

Necq; uero dubium apud nos  
esse potest, quin Cæsarea ipsius Maie=stas  
summo studio id egerit, ut, quod  
de libero in Germania Concilio pro=misserit, re ipsa præstaret, id quod ex  
actis Comitiorum Norimbergensium  
annī 24. non obscurè potuit animad=uerti, cum de Adriano Pontifice præceptore  
quondam suo, qui & Pontifex  
eo tempore electus fuerat, & missis ad  
comitia Legatis, ad Pontificiorum er=rorum in doctrina & uita emendatio=nem, operam suam detulerat, bonam  
se spem concepisse significaret.

Quibus uero artibus, technis &  
subornationibus haec tam pia & fa-  
lutaria consilia antea quidem a Leone  
Decimo, & postea a sequentibus Pon-  
tificibus, Clemente nimirum Septi-  
mo, Paulo Tertio, & illorum successo-  
ribus in hunc usq[ue] diem uel impedita  
sint, uel ita elusa, ut interim alia pror-  
sus suspecta & uni parti fauorabilia  
Concilia, idq[ue] in Italia instituta sint, id  
neq[ue] Cæsaream uestram Maieslatem,  
neq[ue] alios homines, quibus horum  
temporū historiæ non omnino igno-  
ta sunt, latere potest.

Quandoquidem autem istud eti-  
am concilium, quod nunc a Pio Quar-  
to continuatur, ita comparatum est, ut  
nulla ex parte neq[ue] Comitiorum Impe-  
rialium decretis, neq[ue] alijs Imperij de  
Religione & pace pactionibus atq[ue]  
conuentionibus, multò minus iuri di-  
uino & humano, ac pijs ueteris & pu-  
rioris Ecclesiæ consuetudinibus respō-  
deat (Eius enim rei argumentum fir-  
missimum est ipsa continuationis no-  
men)

menclatura, quæ in indictionis Bulla,  
sicut uocant, exprimitur, quæ quidem  
continuatio ad confirmationem con-  
demnationis doctrinæ nostræ manife-  
stissimè tendit) in illam omnino spem  
erigimus C. M. V. nequaquam con-  
cilium istud, utpote suspectum & uni-  
tantum parti addictum, pro legitimo  
reputaturā, & habituram insuper nos  
quocq; excusatos, quod necq; consentia-  
mus in illud, necq; imittendos aliquos  
ex nostris eò censeamus.

In dubium enim uocari non potest  
& credimus V. quoq; C. M. uniuersitate cum  
omnib. sapientib. & rerum humanarū  
peritis sua ipsius sponte sic iudicaturā,  
continuationem istam Concilij Tri-  
dentini remotissimam esse à studio ue-  
ræ religionis et pacis, ac adeò non pro-  
futuram ad mutuam in religione &  
Repub. confessionem, ut multò ma-  
iores distractiones allatura uideatur,  
cùm propter atrocia quædam præiu-  
dicia & condemnationes doctrinæ  
coelestis, & nostræ religionis cū coelesti

A 5 do-

doctrina rectissime congruentis, tūm  
propter alia quædā portēta, ex quibus  
unū est, quòd humanarū traditionum  
et receptarū consuetudinū æqualis de-  
beat cum uerbo Dei autoritas esse : Et  
tursus, quòd credētes in filiū Dei opor-  
teat in perpetua dubitatione de remis-  
sione peccatorū, & gratia Dei manere.  
Cetera uero quę non pauca sunt, nunc  
quidem relinquimus in medio, cùm in  
sequenti scripto paulò uberius com-  
memorentur.

Insuper autem, si uel maximē neç  
nomīnaretur, neç esset prioris Synodi  
Tridentinæ cōtinuatio, tamē hoc in eo  
Concilio est incōmodi, quòd ad cōsul-  
tationes, cōclusiones & decisiones, uel  
ad uota uocesq; decisiuas, ut loquuntur,  
nemo à Pontifice prēter mancipia eius  
ipſi iurata, ut sunt Cardinales, Archi-  
episcopi, Episcopi, Abbates & Mona-  
chi quidā, neç admittatur, neç admit-  
tendus esse uideatur. Quo fit, ut infi-  
cias iri nō possit, Pontificem nihil aliud  
in ista Conciliij cōtinuatione quam no-  
stræ

stræ religionis condemnationem, quo  
cūq; modo fiat, moliri, ad cuius execu-  
tionem alij tandem reges & Príncipes  
prætextu Concilij tantò sint propensio-  
res.

Negari etiam illud non potest,  
Pontificem nequaç; seriò hoc agere, ut  
pium, liberū, minusç; suspectū concili-  
um, in quo iudiciū fiat ex sacra scriptu-  
ra, quam ipsi materiam litis nominant,  
celebretur, cùm res ipsa doceat eum er-  
rores doctrinæ, abusus ceremoniarū  
& externæ uitæ peruersitatem ac scan-  
dala nō tantūm nō abrogare, seu, quod  
minus est, agnoscere, uerūetiā omnes  
eo cogitationes curasq; die noctuq; re-  
ferre, ut sanā Euangelij doctrinam ra-  
dicitus extirpet, & suam solius autori-  
tatem, dignitatem & potentiam uel  
ipso Deo inuito retineat, stabilemç;  
magis ac magis reddat, quoquo mo-  
do fiat illud, siue gladio, siue igni, si-  
ue aqua.

Quæcumque uerò sunt illa, hoc  
tamen

tamen etiā C. M. V. ut pote Imperato-  
ri prudentissimo deliberandū cōmen-  
damus, quām sit indignum & iniquū,  
quòd Pontifex Romanus præsidis &  
iudicis autoritatem in concilio soli sibi  
arrogat, cùm tamen reuera in his con-  
troversijs nihil aliud sit quām pars alte-  
ra, & quidem pars rea, accusatus uide-  
licet à nostris de hæresi, ex scriptis Pro-  
pheticis & Apostolicis, adeo ut & pro-  
cōuictio non immerito reputari queat.  
Hoc ipsum autem quid aliud est quām  
cū ipso naturali iure, & omnibus alijs  
iuris speciebus digladiari, in quibus  
omnibus expressum est, personam lu-  
dicis neminem sustinere posse, qui uel  
ipse pars est, uel publicus et manifestus  
unius partis hostis. Id cùm in politicis  
fiat, quanto magis in his religionis dis-  
sensionibus, in quibus periculum lon-  
gè maius est, si non rite tractentur, sic  
i præstaricē debet;

His igitur & alijs quibusdam pau-  
lo pluribus permotis rationibus, quarū  
nonnullas cùm in Comitijs corā, tūm  
recens

recens in cōuentu Neoburgensi C.M.  
V. Oratori exposuimus, cōmittere nō  
potuimus, quin C.M. V. quid de Con-  
cilio Pij quarti unanimiter sentiamus,  
summatim et ordine exponeremus, In  
eū autē finem offerimus hoc tempore  
C.M. V. hoc præsens scriptū ex cōmu-  
ni omniū nostrū sententia confessū, in  
quo, quid in Pij Quarti concilio desa-  
deremus, summatim complexi sumus.

Id autem C. M. V. & non Pon-  
tifici uel ipsius Synodo offerendū ideo  
duximus, quod solam C. M. V. pro  
legitimo magistratu nostro diuinitus  
nobis ordinato agnoscamus, nullā in-  
terea Pontifici Iurisdictionem in nos  
tribuentes uel permittentes, adeo ut  
ne quidem cum concilijs eius rem ullā  
habere uelimus. Sicut constat etiam  
nos tantum cum Carolo Quinto p̄ijs-  
simae recordationis C.M. V. dilectissi-  
mo fratre, & quidē cū ipsa C. V. M. de  
Synodo alijsq; Reip. negocijs s̄aepē se  
duloc̄ consuluisse, et tandem in certas  
religionis & pacis pactiones mutuo  
consensisse.

Preca

Precamur summa cum reverentia, ut C. M. V. hanc excusationem nostram serenissima fronte & clementissima mente accipiat, quod ipsum facturam eam, cum ad excusationem illam summa nos cogat necessitas, adeo non diffidimus, ut certò etiam id nobis polliceamur: Et det insuper operam, quod uel in dictum à Pio Quarto Consilium abrogetur, uel aliud, de quo in multis Comitijs spes facta est, instituitur, tale uidelicet ut celebretur in Germania, & sit liberum, commune & piuum, in quo iudicium fiat ex uerbo Dei per pios, doctos, & non suspectos ex omnibus nationibus Christiani orbis collectos & depromptos. Talem Synodus constat nos non tantum non detrectasse, sed multò magis in multis Comitijs optasse & petuisse, quo animo nunc quoque sumus: Ac faciemus officium nostrum, si talis Syndicus, de qua sàpè dictum est, institueretur.

Si tamen præter expectationem nostram

nostram , nec Synodus talis institui posset, nec Pontifex ab instituto suo condemnandisque nobis desisteret , firmiter speramus Cæs. Mai. V. esse curā, ut, quod in Passauensi transactione & in decretis de perpetuò duratura religionis pace & libertate constitutum est, saluum nobis sit, nec permissionem unquam , ut contra pactio-nes à quoquam molestemur aut prægrauemur , Prout idem in Neoburgensi conuentu C. M. V. per Orato-rem nobis significandum curauit , quam ad rem, quantum in nobis est , paratissimos nos futuros , ut uidelicet pactiones de religionis pace incolus mes & inuiolatae maneant , pollice- mur,

In his rebus si quid fuerit à C.M. V. factum eo, quo diximus, modo, id erit optim. Maxim. ad cuius gloriam cedit, gratissimum, & sicut id ipsum cum magnis & multiplicibus , multarum Nationū emolumentis. De nobis uero hoc C. M. V. promittimus, q̄ in om-nibus

nibus, quæcunq; à nobis piè & cum  
conscientia bona proficisci possunt,  
etiam cum uitæ rerumq; nostrarum  
discrimine quoq; tempore C. M. V.  
paratiissimi esse, & rebus ita ferentibus  
ipso facto testari uolumus, ut intelligi  
à quoq; possit, nihil nos, quod ad  
communis patriæ & Reipub. salutem,  
dignitatem, amplificationem & ad sa-  
lutarem pacem, concordiā ac trans-  
quillitatem stabiliendam quo  
modo pertinere ui-  
detur, prætermi-  
sisse.



CAV-

**C A V S A E**  
**CVR ELECTORES,**  
**PRINCIPES, ALIIQVE**  
Augustanæ Confessioni coniuncti Status, ad  
impium Concilium à Pontifice Pio IIII. Tri-  
dento indictum, non accedant, Addita simul  
commemoratione, sacrarum literarum testimo-  
nijs confirmata, Quæ eius Concilij, aliorumq;  
omnium Pontificiorum decretorum, & Conti-  
nuationis, ratio sit, Quibusq; conditionibus &  
Qualitatibus ijdem status Augustanæ Confes-  
sionis, in Comitijs Imperialibus alijs q; conuen-  
tibus, ad Concilium Generale, pium, liberum,  
legitimum, & Oecumenicum, in Ger-  
mania, prouocarint, atq;  
nunc prouocent.



**VLTIS HACTE**  
nus annis, non tantum  
Electorum ac Principum  
reliquorūq; statuum Au-  
gustanæ Confessioni ad-  
dictorum Theologi, uiri doctrina &  
pietate eximia prædicti, & uerbi diui-  
ni Concionatores, publicè editis scri-  
B ptis te-

ptis testati sunt, uerùm etiam ipsi Ele-  
ctores, Príncipes, ac status, Cæsareæ  
Maiestati ac sacro Romano Imperio  
in Comicijs Imperialibus alijsq; con-  
uentibus sæpè multumq; satis superq;  
ostenderunt ac probârunt, quibus  
de causis, planè necessarijs, doctrinam  
Romanorum Pontificum (qui in po-  
stremis hisce temporibus summam in  
Ecclesia autoritatem sibi arrogârunt,  
scq; Christi Vicarios nullis sacrarum  
literarum testimonijs iactitarunt) op-  
pugnârint, scq; à Romana Ecclesia  
seiuixerint. Ac tametsi à Pontificijs,  
ijsq; præsertim, qui maiorem politicæ  
sapientię humanorumq; consiliorum,  
quam mandatorum diuinorum æter-  
næq; salutis rationem habent, accusati  
sunt, atcq; nunc etiam calumniosè gra-  
uantur, ac si schismatum & sedicio-  
num causam præbuerint, temerè ab  
ordinaria potestate desciverint, iniu-  
steq; huius causæ cognitionem sibi  
sumpserint, Nec iudicem ullum ferre  
uoluerint, firmis tamen sacrarum li-  
terarum

terarum documentis Augustanæ Confessionis status probârunt, eam esse Romanorum Pontificum conditionem, ut non tantum de abusibus quibusdā (quorum tamen illos in hac Euangelij luce quodammodo pudet, & reformatione seueriore opus esse fateri coguntur) controuersia sit, Verum multò magis, quòd Pontifices absq; uocatione in Christi Ecclesiâ sese ingesserint, ac fundamentum ueræ Religionis fideicq; Christianæ, de uera agnitione filij Dei, & iustificatione per fidem in Christum, ueroq; Sacramentorum usu humanis traditiōnibus & superstitionibus corrupserint.

Cùm autem non de huius tantum uitæ commodis, sed de æterna salute agatur, et status Augustanæ Confessionis sacris literis edocti sint, Omnes homines ad agnitionem filij Dei conditos esse, Ac seuerissimum Dei mandatum esse, ut eum corā omnibus hominibus confiteamur, & Idolatri-

am fugiamus, iuxta præceptum, *FV<sup>2</sup>*  
*GITE IDOLA*, Item, *BLAS<sup>2</sup>*  
*PHEMIA SPIRITVS NON*  
*REMITTETVR*: Abundè te-  
statum fecerunt omnibus, se non pra-  
ua aliqua cupiditate, pleonexia, aut  
petulantia, sed conscientia motos, ue-  
ram DEI agnitionem amplexos esse,  
seq<sup>z</sup> ab ijs se iunxit, qui in Ecclesiam  
Christi errores, & Idolatriam inue-  
runt, ac eius potius doctrinam secutos  
esse, de quo pater coelestis inquit: Hic  
est filius meus dilectus, *H V N C AV-*  
*DITE*, quām traditiones humanas &  
adfectatam dominationem in Ecclesia  
Christi contra expressum DEI man-  
datum. Nullam igitur schismatum  
causam status Augustanæ confessio-  
nis præbuerunt, Sed multò magis Ro-  
mani Pontifices eorumq<sup>z</sup> satellites  
uerbi diuini Regulam sequi, illiusq<sup>z</sup>  
cognitioni sese subiçere debuerunt.  
Id cùm non fecerint, illorum, non  
autem Augustanæ Confessionis statu-  
tuum culpa, optata religionis concilia-  
tio hactenus impedita est. Necq<sup>z</sup>

Nec uero hi ipsi status, eorumque  
Doctores & Concionatores propria  
autoritate iudicium aut cognitionem  
de religionis causa sibi sumperunt, sed  
coelestem doctrinam secuti sunt, secundum  
iuxta praeceptum Apostoli ad redden-  
dam fidei rationem obtulerunt, Ac  
Caesareæ Maiestati, legitimo magi-  
stratui suo, Anno 30. in Comicijs  
Augustanis confessionem suam exhi-  
buerunt, Quam eo ipso tempore ex  
sacris literis Veteris & Noui Testa-  
menti, atque adeò Propheticis & Apo-  
stolicis scriptis, & purioris Ecclesiæ  
Doctoribus explicarunt & confirmâ-  
runt.

Adhæc manifestum est, Status  
ordinarias dijudicandæ controversiæ  
religionis uias ex uerbo Dei, in ueteri  
Ecclesia usitatas, nunquam detrea-  
ctasse. Nam non tantum colloquijs  
alijsque tractatibus ad eam rem institu-  
tis interfuerunt, omnesque ineundæ  
concordiæ rationes magno studio ad-  
iuerunt, uerum etiam ad Oecume-  
nica

nica pia & libera Concilia s̄ep̄issime  
prouocarunt.

Etsi autem in Comitijs Imperialibus, Norimbergæ uidelicet Anno 24: Ratisbonæ Anno 32. & 41. Spiræ, Anno 42. & Norimbergæ Anno 43. Atq; iterum Spiræ, Anno 44. ad quæ suos quoq; Romani Pontifices legatos miserunt, Cæsarea Maiestas & Status sacri Imperij, ad tollendum religionis dissidium commodissimam viam esse censuerunt, ut liberum, piūmq; Concilium in Germania, in loco idoneo ac tuto, cui non membra tantum, sed & Caput reformatum subiçtatur, indiceret, Eiusq; obtinendi spes Statibus non raro facta est: Pontifices tamen Romani nec in talia libera, pia et Oecumenica Cōcilia consentire, nec illis sese subiçere uoluerūt, sed more suo, impia concilia indicere perrexerunt, Vnde non difficile est cuilibet æstimare, uoluntatem illorum nequaquam fuisse, ut piorum Conciliorum decretis sese submittarent,

sent, (quibus Ecclesiae dissensiones di-  
rimantur, gloria Dei illustretur, Idola-  
trici cultus tollantur, & tot seculis deli-  
derata emendatio seu reformatio ca-  
pitis ac membrorum tandem impetra-  
tur) sed multò magis ut potentiam &  
autoritatem sedis Romanæ confirma-  
rent, & ueræ religionis doctrinam  
opprimerent.

Ac ne obscura esset hæc eo-  
rum uoluntas, ne suorum quidem im-  
piorum suspectorumq; Conciliorum  
conclusiones expectarunt, sed in ipso  
Status initio ac uestibulo, statim Au-  
gustanæ confessionis doctrinam tan-  
quam hæreticam publicis edictis ac  
bullis (ut uocant) condemnarunt.  
Idq; à Pontifice Romano, Leone, fa-  
ctum esse, palam notum est omnibus,  
qui edita Bulla omnes Augustanæ  
Confessioni addictos excommunica-  
uit. Constat etiam, Pontificem Pau-  
lum III, quibusdam in litteris Impera-  
torem Carolum V. accusasse; quod

B 4      necessis

necessitudo illi, & coniunctio cum Statibus Augustanæ Confessionis intercederet. Et extant non pauca edita, in quibus Pontifices Romani crudelissima supplicia ijs, qui Augustanæ Confessionis doctrinam amplectentur, interminati sunt.

Ex bullis quoque indictionum Concilij Pontificij manifeste constat, concilia ab ipsis non eò indicta esse, ut piorum & eruditorum virorum disputatione ac collatione lux Euangelij illustretur, uel quod Pontifices conciliarū decretis se subiçere, atque emendationem ullā ferre uelint, sed ideo potius, ut Augustana Confessio damnetur, eacque cōdemnatio executioni mandetur, atque adeò ut Status ei Confessioni adharentes & opprimantur & funditus deleantur.

Ad eum finem, Concilium Veronense, Mantuanum, & tandem Tridentinum Anno 46. & 52. à Pontifice Romano institutum fuit,

Quo-

Quocunq; autem tempore impia  
& suspecta illa concilia ab Episcopis  
Romanis indicta sunt, semper Status  
Augustane Confessionis publice editis  
scriptis causas exposuerunt, cur eorum  
impiorum Conciliorum determina-  
tioni ac decretis sese subiçere, illisq; in-  
teresse nec debeant nec possint, Et im-  
primis contra Concilium Tridenti-  
num à Pontifice Paulo III. indictum,  
publico scripto protestati sunt, in quo  
luculenter ostēsum est, nec diuino nec  
humano lute, ueterisq; purioris Eccles-  
iae consuetudine, Pontificem indicen-  
di Concilij potestatem habere, in hoc  
præfertim orbis Christiani statu. Ac  
prolixè in eo ipso scripto Status ostens-  
derunt, non Pontificum, sed Magis-  
tratus civilis ac Cæsareæ Maiestatis  
aliorumq; Christianorum Regum ac  
Principum officium esse, ut ad tollen-  
da dissidia Ecclesiarum in causa reli-  
gionis, Concilia indicent: Quodq;  
ita in Ecclesia Veteris Testamenti, ac  
temporibus Apostolorum longa an-

B 5 norum

norum serie seruatum sit, donec Pontifices Romani ueram Ecclesiæ doctrinam corruperunt, ac dominatum & summam autoritatem supra Concilia uiolenter sibi rapuerunt.

Jurisdictioni quoque Pontificum Augustanæ Confessionis Status subiectos non esse, ideoque nullam illis citandi aut conuocandi ius competere, abunde docuerunt, præterquam quod ea imperiorum Conciliorum indicio Conuentuum Imperialium tractationibus & transactionibus contraria est, Quia non in Germania tuto cōmodoque loco, sed in suspecto loco Tridenti indicium est. His accedit, quod illud ipsum Tridentinum Concilium non est universale, Oecumenicum, liberum & pius, quemadmodum Statibus in Comitiis Imperialibus spes facta est, ac dissensuum quæ inciderunt magnitudo, & veteris Ecclesiæ ritus requirit. Licet enim à Romano Pontifice liberum & universale uocetur, tamen illius tan-

tantum compendijs ac rationibus ac-  
commodatum est, siquidem ipse Prae-  
sidis officio fungitur, atque assessores iu-  
ramenti religione ac vinculo sibi obstric-  
tos habet, Non obstante, quod ipse  
Pontifex propter doctrinæ ac morum  
corruptelas reus est, Eamque ob causam  
Concilij decretis sese submittere, om-  
nibusque qui ex fundamento sacrarum  
literarum aliquid proferre queant, pro-  
more liberi uniuersalisque Concilij uo-  
cem decisivam concedere debebat.  
Quod ipsum tunc in eo scripto, aliisque  
impressis libriss evidenter probarunt  
Status Augustanae Confessionis, ut ex  
iisdem uidere licet.

Spretis autem hisce admonitio-  
nibus & interpellationibus, Romanus  
Pontifex nihilo minus in suo perrexit  
proposito, Similiterque illis obstricti As-  
sessores, Cardinales, Episcopi, Abba-  
tes, Monachi, aliisque eius farinæ homi-  
nes non auditis Augustanae Confessio-  
nis statibus, neglectisque alijs orbis Chri-  
stiani

stiani Principibus, decreta quædam  
fecerunt ac publicârunt, cum sacrâs li-  
teris, & Propheticis ac Apostolicis scri-  
ptis ex diametro pugnantia.

Ex quibus omnibus, facile est cuilibet intelligere, quæ Pontificum eorumque Satellitij in hoc grauissimo religio-  
nis negocio sententia fuerit, Quidq; de executione consilij habuerint, si im-  
pia Conciliorum decreta absoluissent,  
& machinationes suas iam non obscu-  
ras, ad effectum perduxissent.

Cùm autem singulari Dei prouiden-  
tia propositum eorum tunc irritum  
factum esset, & Assessores Pontificij,  
rebus infectis, absq; certa determina-  
tione Concilium abrupissent, ac dilap-  
si essent: non destiterunt status Augu-  
stane Confessionis, apud Cœfream Ma-  
festatem & omnes Imperij ordines, de  
impijs Pontificum molitionibus que-  
ri, Necq; ea ipsa Concilij Tridentini de-  
creta Status Imperij acceptârunt aut  
approbârunt, sed tandem pro tem-  
porum

porum ratione statuerunt religionis  
dissidia Pontificum Romanorum  
suspectis Concilijs nequaquam tolli,  
nec ullas concordiae fulciendae ratio-  
nes iniri posse. Hanc ob causam  
inter Cæsaream Maiestatem & sacri  
Imperij Romani ordines, de perpetua  
inter utriuscq; religionis Status pace ac  
concordia, unanimi consensu firmis-  
simoq; nexu ac poenalibus obligatio-  
nibus, actum est. Atq; inter alia com-  
munibus omnium suffragijs conclu-  
sum est, ipsam Cæsaream Maiestatem  
cum Imperij ordinibus rationes inire  
uelle, quo pacto concordia in religio-  
nis causa constitui ac stabiliri posset.

Consentientibus enim suffra-  
gijs à Cæsarea ipsius Maiestate, & or-  
dinibus decretum est, hoc quidem se-  
culo, pro temporum, rerū, uariorumq;  
impedimentorum ratione, generale  
piumq; Concilium, difficulter institui,  
multoq; minus perfici posse, quemad-  
modum id diserte Comiciorum Im-  
perialium decreto Anno 1557, ex-  
pressum est,

Atq;

Atq; hinc apud Cæfaream Maies-  
tatem Imperiumq; Romanū Pontifiz-  
cię Synodi decreta nihil prorsusponde-  
ris habuerunt, Imò in Conuentu Ratis-  
bonensi postremo Cæsareæ illius Ma-  
iestati, cæterisq; Imperij ordinibus  
placuit, piorum doctorum uirorum  
colloquium potius quam Concilium  
instituendum esse, quo diuturnæ de  
religione controversiæ sopiri, & con-  
fessio sacræ literis consentanea ini-  
posset, quod ipsum Colloquium ea ra-  
tione Anno 56. Vuormatiæ habitum  
est.

Etsi autem ille eruditorum uiros-  
rum congressus, expectatum opta-  
tumq; exitum non habuit: Cæsarea  
tamen Maiestas ac Status Imperij abea-  
conciliationis uia non prorsus desti-  
terunt, Imò in proximis Comicijs Au-  
gustanis Anno 59. commodissimum  
esse iudicarunt, ut consultatio seu tra-  
ctatio de religionis negocio in aliud  
commodius tempus differretur, Atq;  
interea nihilominus Transactio Pas-  
sauiana

fauiensis, Eaç perpetuae pacis conservandæ formula, Anno 55. subssecuta, Eiusç executio rata atç iniuiolata esset.

Interea uero temporis, à Cæsarea illius Maiestate Statibusç Imperij nulla de Colloquio aut alia religionis tractatione, deliberatio instiuta est, tantum abest, ut quidquam in ea causa à Maiestate ipsius cum Imperij ordinibus decretum sit.

In hoc rerum suspenso Statu Pontifex Pius III I, antecessorum suorum uestigia ac uafra consilia secutus, iterum Concilium impium indixit, Eo nimirum proposito ac fine, ut Cæsareæ Maiestati Statibusç Imperij hoc ius præriperet. Ac priusquam de pjs ineundz concordiae rationibus ipsi deliberarent, eos anteuerteret, eam scilicet ob causam, ut multis iam annis inter Status Imperij sperata de religione consensio impediretur, ipseç Pon tifex suam autoritatem ac potentiam

atç

atq; adeò Idolatrica decreta Tridentina confirmare & Augustanae Confessionis Status opprimere posset.

Nec uero tantum Pontifex Pius III. priusquam Concilium suum institueret, ab impietate, uitæq; ac morum sedis Romanæ turpitudine non destitit, nullamq; corruptæ doctrinæ emendationem suscepit, uerum etiam sine pudore, indicendis lubilazis, conferendisq; indulgentiarum bullis, atq; alijs impijs & cum doctrina cœlesti pugnantibus traditionibus, antecessorum suorum exempla secutus, non obscure testatus est, se indepto hoc Concilio nihil nisi Idolatriæ Pontificiæ impiorumq; abusuum confirmationem moliri.

Quanquam autem initio pleriq; arbitratii sunt, Pontificem Concilium id suum eo pacto indicturum esse, ut tractatio de religione posthabitis Tridentinæ Synodi decretis, haberetur, quod ipsum quoq; Augus-

stanæ

stanæ Confessionis Statibus præiudicium allaturum erat ( In Bulla enim inductionis, expressa continuationis mentio non facta, sed occultis obscurisq; uerborū inuolucris, sublata scilicet omni suspensione, significata est ) In bulla tamē indulgentiarum quæ paulò post secuta est, disertè expressit, nihil nisi Tridentinæ Synodi continuacionem, hoc abs se indicto Concilio tentari, quamlicet Cæsa. Mai. quoq; ut ad Status Augustanæ Confessionis relatū est ) improbabilit, ac Pontificem missis legatis hortatus sit, ut à continuacionis proposito discederet, & Concilium alio loco in Germania indiceret, nihil tamen apud illum Cæsar. Mai. obtainere potuit, Atq; nunc indies, ita ut cœpit, Pontifex pergit.

Proinde eo etiam pacto hoc impium Concilium Pontifex indixit, ut in eo neminem, preter obstrictos libi Cardinales, Patriarchas, Episcopos, Archiepiscopos, Prælatos, Abbates, ac Monachos

nachos præesse, ac decidendi facultatē  
habere uelit. Nec tantūm Augusta  
næ Confessioni addictos Status, sed  
& omnes alios Reges ac Principes  
uera pietate imbutos, ab ea decisione  
prorsus excludat, Imò iisdem suis  
mancipijs certos mandatorum fines  
ita præscripsit, ut decreta nulla absq;  
approbatione & consensu suo facere  
aut publicare eis liceat. Atq; ita om  
nia ad Pontificis nutum fieri, nihilq;  
sine illius mandato & autoritate agi,  
tractari aut decerni necessè est, quod  
ipsum Concilij Præsidentes profiten  
tur, dūm se Apostolicæ sedis nomine  
tantūm Concilio præesse publicè te  
statum faciunt, Ex quibus liquidò  
apparet, Romaní Pontificis uolun  
tatem nequaquam esse, quòd Con  
cilij cognitioni sese subiçere, aut ul  
las instituendæ reformationis ratio  
nes admittere uelit, sed id solum agere,  
ut superioritatem ac Tyrannidem su  
am in Ecclesia stabiliat.

Ac

Ac ut minus dubium sit, quid  
moliatur, quorsumq; tendat Ponti-  
fex, statim initio præsidentes, eiq;  
addicti assessores in prima Concilij  
sessione, habitis aliquot orationibus  
& declamationibus, absq; causæ co-  
gnitione inauditos Augustanæ Con-  
fessionis Status, eorumq; doctrinam  
condemnârunt, palamq; significâ-  
runt, sese condemnationum causa con-  
uenisse, & à Pontifice Tridentum mis-  
sos esse, ut difficile non sit intelligere,  
quæ noua decreta condemnationum  
expectanda sint, quisc; eius Concilij  
exitus futurus sit.

Atq; in his nulla quidem di-  
vinatione opus est, sed certissimis  
quasi argumentis, ea Concilij conti-  
nuatione instituta, quæ illorum insi-  
diosæ sint machinationes, colligi  
potest.

Constat enim omnibus, in su-  
periori Concilio Tridentino multa de-  
creta facta ac promulgata esse, quibus

C 2 præci

præcipui aliquot fidei articuli, à Statib⁹  
bus Augustanæ Confessionis hacte⁹  
nus Propheticorum & Apostolico⁹  
rum scriptorum testimonijs defensi⁹  
& confirmati, uelut hæretici & impj⁹,  
condemnati sunt.

Vt autem p̄ij & uere timentes  
Deum, quibus gloria Dei & doctrina  
cœlestis cordi est, intelligent, quæ  
mala sub ea continuatione lateant,  
præcipua quædam superioris Tridentinæ  
Synodi est execranda decreta re-  
censebunt ac refutabunt, nimirum,  
ut in conspectu sit omnibus, quām im-  
piæ, crudeles, & Tyrannicæ decisio-  
nes ē concilijs illis Tridentinis, orbi  
terrarum expectandæ sint.

Ac primum quidem in quarta ses-  
sione decreuerunt, traditiones huma-  
nas, continua temporum serie in Eccle-  
sia seruatas, pari reverentiæ, autoritatis  
& pietatis affectu, ut ipsa scripta  
Prophetica & Apostolica, ueneran-  
das & suspiciendas esse. Manifestam  
autem

autem huius decreti impietatem esse,  
ex his & alijs indubitatis scripturæ  
testimonij probatur. Ad Ephes. 2.  
Edificati estis super fundamentum  
Prophetarum & Apostolorum, lapide  
angulari existente Christo Iesu. Item,  
Frustrâ colunt me docentes manda-  
ta & doctrinas hominum, Matth.  
15. Item, Videte ne quis uos de-  
prædetur per Philosophiam & in-  
anem deceptionem, secundum tradi-  
tionem hominum, & secundum Ele-  
menta Mundi, Nemo uos seducat  
uolens in humilitate & religione  
Angelorum, Collos. 2. Item,  
In præceptis meis ambulate, non  
in præceptis Patrum uestrorum.  
Ezech. 20. Suntq; alia testimoniæ  
innumerabilia, quæ idem testan-  
tur, Non uelle Deum aliter agno-  
sci, inuocari, aut coli, quam sicuti  
se & cultus ipsi placentes, in scriptis  
Propheticis & Apostolicis patefecit  
& descripsit. E contrâ uero Synodus  
Tridentina, & uniuersus Pontifica

tus assuerat, scriptis Propheticis  
& Apostolicis, traditiones huma-  
nas, & inueteratas Ecclesiæ con-  
suetudines, æquiperandas, imò &  
preferendas esse, Et traditiones il-  
las ac consuetudines inueteratas, seu  
(ut nominare plerunque solent)  
consensum Ecclesiæ perpetuum, in-  
terpretem scriptorum Prophetico-  
rum & Apostolicorum constituant,  
& in multis suis librīs impuden-  
ter affirmant, scripta Prophetica &  
Apostolica incerta & ambigua di-  
cta esse, de quibus iuxta illum  
consensum iudicandum ac sentien-  
dum sit. Id enim in colloquio pro-  
ximo Vuormatiensi Pontificij diser-  
tē adfirmarunt, sacram Scripturam  
materiam litis esse, non uocem iu-  
dicis, Et normam iudicij in certa-  
minibus de doctrina, esse consen-  
sum illum, & traditiones Catholi-  
cæ Romanæ Ecclesiæ, ut uocant.  
Hæc omnia in DEV M & sacro-  
sanctum illius Verbum contume-  
liosa

liosa sunt, Quasi uero nullam ali-  
am ob causam DEVS ex arcana  
sede sua prodierit, & tradito Verbo  
se se patefecerit, quam ut, uelut po-  
mo Eridos miseris hominibus ob-  
iecto, certaminibus mutuis eos con-  
mitteret, è quibus euoluere se ali-  
ter non possint, quam si respici-  
ant ad hominum traditiones &  
consuetos omnibus temporibus ri-  
tus.

Est & quintæ sessionis decre-  
tum de peccato Originali, sine ul-  
la dubitatione tetur mendacium,  
& corruptela sacræ doctrinæ, cum  
decernunt, Ecclesiam Catholicam,  
peccata quæ in renatis manent, &  
Paulus alias concupiscentiam, alias  
peccatum uocat, nunquam sic intel-  
lexisse, quod uerè & propriè pecca-  
ta sint, & ueram propriamq; pec-  
cati rationem habeant.

Quæ uero causa eos moueat,  
ut sic decernant, non quidem difficile  
est iudicare, sed hoc loco commemo-  
rari non potest. Hoc enim tanquam  
fundamento omnes doctrinæ corru-  
ptelas, de iustificatione, de implecio-  
ne Legis, de meritis & dignitate ho-  
norum operum, superextruunt, sicut  
alibi prolixius & pleniùs à nostris de-  
monstratum est. Nos uero contra  
constanter adseueramus, mala illa  
quæ in sanctis & renatis reliqua sunt,  
& in uita hac mortali durant, ut ca-  
ligo horribilis in mente, multæ dubia-  
tiones de essentia & uoluntate Dei,  
multi fremitus aduersus Deum in uo-  
luntate & corde, multiplex securitas  
& contemptus Dei, incendia malo-  
rum affectuum & alia mala, quæ  
sacra Scriptura nomine concupiscen-  
tiæ complectitur, Hæc omnia ad-  
firmamus uerè & propriè, & sua na-  
tura peccata esse, hoc est, mala pu-  
gnantia cum Lege Dei, & certò dis-  
plicentia Deo, Sicut de his, ad Ro-  
ma. 7.

ma. 7. multis & illustribus uerbis  
dicitur: Cocupiscentiam ignorasse,   
nisi Lex diceret, Non concupisces,  
Et paulò post, Scio, quia non habi-  
tat in me, hoc est, in carne mea bo-  
num. Et Cap. 8. Sensus carnis ini-  
micitia est aduersus Deum. Hæc  
dicimus manere in Sanctis, & esse  
peccata per se, hoc est, mala pu-  
gnantia cum lege Dei, Nec tantum  
ex lapsu primorum Parentum ita reli-  
qua esse, ut ueram & propriam pec-  
cati rationem non habeant, sed uel poe-  
næ sint primi illius lapsus, uel ad peccata  
solummodo inclinent, ut Synodus  
Tridentina fingit.

Idç propterea retinendum est,  
ne ut Pontificij fecerunt, somniemus  
hominem naturalibus uiribus diui-  
nam sibi gratiam conciliare & para-  
re posse, Ac facientem quod in se est,  
(Nam ita loquuntur) gratiæ diui-  
næ capacem fieri, & posteà Legi di-  
uinæ satisfacere, ac gratiam & ui-

C 5 tam

tam æternam promereri posse, De-  
nīq; uniuersum commentum, de me-  
rito congrui & condigni, hoc uno  
nūtitur fundamento. Sed cūm tota  
hæc doctrina per se sit manifestissi-  
ma & pīs omnibus nota, qui imbe-  
cillitatem suam rectissime intelligunt  
& sentiunt, ac procul dubio deplo-  
rant, prolīxiorem huius decreti Pon-  
tificij refutationem hoc loco omit-  
temus.

Sunt & in reliquis decretis,  
multisq; Canonibus de iustificatione  
fidei per Christum, multi terti erro-  
res confirmati, & horrenda Mona-  
chorum mendacia, Quod uidelicet  
in Tridentina Synodo decreuerunt,  
Donationem iusticiæ Christi non es-  
se ita intelligendam aut accipiendam,  
quod recipiamur à Deo, & placea-  
mus illi propter Christi iusticiam,  
obedientiam, & merita, sed recipi-  
nos & placere Deo, propria mundi-  
cie, & dignitate, quæ in nobis per  
gratiam

gratiam effusam efficiatur & inchoetur , quia Christus pro nobis mortuus est. Quæ decreta manifestæ condemnationes sunt ueræ doctrinæ Ecclesiarum nostrarum , quam Dei beneficio scriptorum Prophetarum & Apostolicorum testimonij ita confirmauimus , ut speremus , portas inferorum ei non præualituras esse , Quemadmodum & in publicis Imperij deliberationibus , & colloquijs eam Pontificij euenteret non potuerunt.

Nec longa declaratione aut confirmatione noua huius articuli opus est, cùm præcipua uocis diuinæ hac de re extent testimonia , in primis uero, disputationes Pauli p̄ijs omnibus sint notissimæ. Rom. 3. 4. & 5. cap. Gal. 2. 3. & 4. Ad Ephes. 2. Ad Philip. 4. & Tit. 3. cap. quibus omnibus Ecclesiarum nostrarum doctrina communitur, & decreti Tridentini impie tas & impudentia euidenter refutatur, ac prorsus contrarium asseritur,  
Quod

Quòd uidelicet homo, in uera & non  
simulata conuersione ad Deum, ex in-  
iusto, hoc est, reo & maledicto pec-  
catore, iustus fiat, hoc est, accipiat re-  
missionem peccatorum & imputa-  
tionem iusticæ, reconcilietur Deo,  
& ab eo acceptetur ad uitæ æternæ  
hæreditatem sola fide, tantum per mis-  
ericordiam Dei, gratis, per & pro-  
pter obedientiam Mediatoris, Filij  
Dei, Domini nostri Iesu Christi,  
quem proposuit Deus Propitiatorem  
in sanguine eius, Ac nititur fides illa  
qua iustificatur homo, sola Mediato-  
ris obedientia, propter quam persona  
credens iam est iusta, habens remissio-  
nem, & reconciliata & accepta Deo,  
iusticia imputata propter Mediato-  
rem, Nec nititur uel præcedentibus  
uel sequentibus meritis, dignitate, aut  
puritate inchoatæ in nobis nouitatis.  
Sicut Roma. 4. inquit Paulus: Ei  
uerò qui non operatur, credenti au-  
tem in eum, qui iustificat impium,  
imputatur fides eius ad iusticiam. Et  
quancq;

quancq; certò & sine ulla dubitatione  
cum hac fide coniunctæ sunt, Dile-  
ctio, Spes, & aliæ multæ uirtutes et bo-  
na opera: Tamen semper retinenda  
est hæc consolatio, Sola fide nos iustos  
esse, id est, imputata iusticia propter  
obedientiam Mediatoris, quam ad-  
prehendit fides & sibi applicat, iustos  
& acceptos esse, non propter sequen-  
tem nouitatem, seu uirtutes nostras,  
Quæ etiæ suo loco & modo, iusticia  
bonæ conscientiæ uerè nominantur &  
sunt, tamen non sunt iusticia illa pro-  
pter quam coram Deo homo recipi-  
tur, & placet Deo. Nec est abiçien-  
da aut extenuanda imputata filij Dei  
Mediatoris iusticia, Sicut impia de-  
creta Synodi Tridentinæ eam abiçis-  
unt & extenuant, Quia Paulus de ea  
expressè inquit, ut paulò ante dictum  
est: Fdes imputatur credenti ad iusti-  
ciam. Et in tota Scriptura Prophe-  
tica & Apostolica exempla Sancto-  
rum omnium manifestissime testan-  
tur, Sanctos non aliter accedere ad

Deum

Deum, quam fiducia misericordiae  
propter Mediatorem Messiam pro-  
missae, ut Daniel inquit cap. 9. Non  
in iusticia nostra, sed in misericordia  
tua propter Dominum, exaudi nos.  
Psalmo 5. Conuertere Domine, eri-  
pe animam meam, Saluum me fac  
propter misericordiam tuam. Et E-  
phes. 3. Per Christum Iesum audie-  
mus accedere, in fiducia, quæ est in  
fide eius. Hæc dulcissima dicta om-  
nia oppugnant & delent decreta Tri-  
dentina, ut si nullæ aliae essent causæ  
cur Tridentinum Concilium recu-  
semus, hæc una sufficere, & illu-  
strissimos Principes excusare pote-  
rat.

Neque uero ea tantum de-  
creta, quæ commemorauimus, Pon-  
tificij fecerunt, sed alia quoque te-  
triora addiderunt. Postquam enim  
diu multumque laborarunt, ac  
desudarunt in confirmanda impia  
sua

sua doctrina de iustificatione per me-  
rita & dignitatem nostram, articulo  
etiam decimo, sextæ Sessionis, decre-  
tum fecerunt, Hominem perpetuò  
dubitare debere de remissione pec-  
catorum, & de gratia. Hoc quid  
aliud est, quam pietatem & religio-  
nem penitus omnem abolere & euer-  
tere, & uel in securitatem Ethnicam  
& Epicuræam, uel in desperationem  
Diabolicam transformare uniuersa &  
singula, quæ uoce sua, quæ Sacramen-  
tis, quæ toto ministerio ac gratia sua  
erga nos Deus testificatur, & propter  
quæ filium misit unigenitum, ut as-  
sumpta humana natura acerbissimum  
crucis ac mortis supplicium subiret,  
ac effuso pro genere humano sacro-  
sancto & precioso sanguine suo, re-  
missionem peccatorum nobis non  
solum certò repararet, uerùm etiam  
obsignaret, Eamq; ob causam Spiriti-  
tum sanctum suum in pectora nostra  
effundit, ut sit arrabo seu pignus suæ  
erga nos gratiæ, Deniq; iuramento  
adfirmat,

adfirmat: Viuo ego, nolo mortem  
peccatoris, sed ut conuertatur & ui-  
uat.

Hæc omnia, non tantum blasphem-  
mo illo & impio decreto pervertun-  
tur & horrenda contumelia adficiun-  
tur, sed etiam penitus & prorsus abo-  
lentur, Ac tantum sub his latet abo-  
minationis & impietatis, ut cogita-  
tione nulla compræhendi, nedum uer-  
bis exponi possit. Estq; fundamen-  
tum, cui soli foedissimum id decre-  
tum innititur, aliud nihil, quam  
mendaciorum & Sophismatum se-  
cum pugnantium Chaos & confusio,  
Debere scilicet hominem gratiam  
Dei & uitam æternam firmissime spe-  
rare, sed quia nesciat nec scire unq;  
possit, num omnia fecerit, quæ faci-  
enda sunt, & an satis dignus sit, du-  
bitandum ei esse, an sit in gratia, &  
an remissionem peccatorum acce-  
pit. Nec refutatione ulla tam pu-  
tidum & insulsum Sophisma indi-  
get. Si enim uitam æternam & do-  
num

num gratuitum firmiter credere &  
sperare debet, Quorsum attinet ad  
merita propria respicere, aut nouum  
fidei ac spei fundamentum ac ful-  
crum in propria dignitate ponere &  
cum citra omnem sit controuersiam,  
Nec fecisse eum, nec facere posse om-  
nia, quae lex DEI requirit, Quæc  
eum facere oportebat.

Cæterum, ut diximus, non  
opus est prolixia aut operosa huius  
mendacij refutatione. Nôrunt enim  
omnes piaæ mentes, quanto conatus  
Paulus insulsum hoc dogmatis Pon-  
tificij fundamentum oppugnet &  
euertat ad Roma. 4. ubi in recitatio-  
ne argumentorum, quibus doctrinam  
Euangelij de iustificatione fidei  
defendit, illud potissimum, uelut  
Statum ac caput totius disputationis  
urget, Ideò scilicet offerri promissio-  
nem Euangelij gratuitam, fide acci-  
piendam, ut certitudo sit. Ideò ex fide,  
inquit, gratis, ut sit firma promissio.

D      Et

Et nota est definitio Fidei, quæ traditur in Epistola ad Hebreos capite 11. Fides est substantia rerum sperandarum & argumentum non apparentium, Et in supra allegato dicto Pauli ad Ephes. 3. Quatuor insignia sunt uerba, quæ certitudinem hanc requirunt, omnemque dubitationem dampnant. Audemus, inquit, confidenter accedere ad Deum in fiducia quæ est in fide eius. Mens dubitans non accedit ad Deum, sed horribili fremitu fugit Deum, & ruit in contemptum Dei & aeternum exitium, Non habet hanc libertatem in compellando DEO, non habet confidentiam petentem & expectantem bona à DEO, quæ omnia adfirmat Apostolus in his esse & lucere, qui in Christum Iesum credunt. Et Roma. 4. De Abraham Apostolus diserte inquit, Non infirmabatur in fide, Nihil haesitans credidit, in spem, contra spem. Gal. 4. inquit, Misit Deus spiritum filij sui

sui in corda nostra , clamantem Abba  
Pater. Roma. 8. Non accepistis  
Spiritum seruitutis in timore , sed  
Spiritum adoptionis filiorum Dei ,  
in quo clamamus Abba Pater , ipse  
Spiritus reddit testimonium Spiritui  
nostro , quod simus filii DEI. Suntq  
testimonia huius generis innumerab  
ilia. Ac si singulæ ministerij diuini  
partes , quæ omnes certitudinem hanc  
demonstrant , ordine euoluerentur ,  
nimis prolixa & ab huius scripti pro  
posito aliena , explicatio futura esset.

Cum igitur decretorum utri  
uscip Concilij Tridentini , tam eius  
quod habitum est Anno 46. quam  
eius quod adhuc durat , ( in quo re  
cens inter reliquas blasphemias in fi  
lium DEI , de sacrosancta coena ac  
communione corporis & sanguinis  
Christi , horrendum & Idolatricum  
decretum factum & publicè edi  
tum est ) manifesta & indubitata  
impietas sit , & sacris literis prora  
sus contraria sint , Quemadmodum

Id Status Augustanæ Confessionis,  
non tantum e sacris demonstrarunt  
literis, uerum etiam multi docti & p̄ij  
viri, qui Pontificis iurisdictioni seu  
Tyrannidi potius subiecti sunt, fateri  
coguntur, cumque h̄dem Status iam  
à Pontificijs condemnati sint, liquido  
apparet, illustrissimos Principes ac cæ-  
teros Dominos nostros, non præci-  
piti aliqua cupiditate, non morosita-  
te, nec curiositate, aut adfectu iniusto  
quocunque, ad recusationem Tri-  
dentinæ Synodi, eiusq; continuatio-  
nis adduci, Sed necessitate eos cogi-  
inevitabili, propter expressa manda-  
ta, Fugite Idola. Item, I. Corinth.  
10. Si quis aliud Euangelium docet,  
etiamsi angelus de cœlo fuerit, ana-  
thema sit. Nam si uel minima in re im-  
piorum Conciliorum decreta appro-  
barent, participes sese Pontificiæ im-  
pietatis contra mandata diuinâ pro-  
priæque conscientiæ testimonium fa-  
cturi essent, & agnitarum semel ueriz-  
tatem abnegare uideri queant, Quod  
ne sis

ne fiat , diuino Spiritus sancti auxilio cauebitur.

Nec dubitant Status , Cæsar.  
Mai. reliquosq; Imperij ordines , &  
omnes orbis Christiani homines pios,  
qui aliquem pietatis gustum habent,  
hanc eorum uoluntatem ita acceptu-  
ros esse , quod non petulantia , nec  
praua cupiditate , leuibusque de cau-  
sis , sed propter mandatum potius di-  
uinum , ac conscientiam suam hæc fa-  
cere cogantur , Neque ea in re quid-  
quam à uera pietate alienum commis-  
tant . E diuerso uero , proculdubio  
insidiosas Romani Pontificis machi-  
nationes , impietatis Tyrannidiscq; ipsi-  
us stabiliendæ causa sub Concilij spe-  
cie institutas , animaduersuri , Tan-  
demq; euidentibus rationibus con-  
victi intellecturi sunt , Pontifici Ro-  
mano hac Concilij continuatione per-  
gere , fas non esse , neq; illi gloriam  
Dei curæ esse , sed unum hoc agi , ut  
cùm Antichristus à Daniele Propheta

D 3 prædi-

praedictus sit, deleto Christi honore,  
suam Idolatriam, Tyrannidem, &  
iniustum potentiam, autoritatem, ac  
praeminentiam confirmet ac stabiliat.

Nam si seria illi res esset, mo-  
tas de Religione in Ecclesia contro-  
uerbias piè ex sacra Scriptura diju-  
dicare, non debebat detrectare, ut  
reuocatis ijs decretis, quæ è Synodo  
Tridentina, inauditis Augustanæ  
Confessionis statibus à mancipijs Pon-  
tificis Pauli III. qui ex præscripto illis  
us singula statuere coacti sunt, prodie-  
runt, collatio ac determinatio de  
doctrina Religionis renouaretur.  
Quia uero, ne quidem ad Cæsareæ  
Maiestatis aliorumque summorum  
Regum ac Principum instantiam;  
id à Pontifice obtineri potuit, facile  
est cuiuis æstimare, quod lucem fugi-  
at, causamq; iniustum foueat, Quodq;  
Concilia aliud nihil, quam autorita-  
tis,

tis, potentiae, & crudelitatis suae pa-  
trocinia ac pallia esse cupiat, Quem-  
admodum longa iam annorum serie  
obseruatum est, gloriari quidem in  
speciem Pontifices, Concilia sese in-  
dicere, sed reuera nihil æquè magis  
metuere ac fugere, quam uerum  
piumque Concilium, in quo simu-  
lationes, fraudes, & imposturæ illorum  
( quomodo scilicet contra expres-  
sum DEI uerbum summam sibi  
autoritatem, oppressis nimirum fal-  
so Religionis prætextu Cæsaribus  
ac Regibus, rapuerint ) detegantur,  
ac emendatio seu reformatio pia,  
maximeque necessaria, iuxta uete-  
ris purioris Ecclesiæ doctrinam insti-  
tuatur.

Proinde Status Augustanæ Con-  
fessionis superioribus annis, osten-  
sis recusationis suæ causis, de ani-  
mi tum sui sententia satis supercet  
stati sunt, nihil se prætermisuros esse,  
quod ad piam in causa Religionis

D 4 cons

concordiam promouendam spectare  
uideatur, idemque plane illorum animus  
adhuc est. Nihilque magis optant aut  
in uotis habent, quam ut diuina ope,  
tristissima religionis dissidia in Ecclesia  
Christi aliquando tollantur, ac ad pro-  
pagandam illustrandamque Christi glo-  
riam talis consensio in sacro Romano  
Imperio & uniuerso orbe Christiano  
stabilisatur, quae sacris literis consen-  
tanea sit, & omnium hominum sa-  
luti consulat, Eam uero concordiam  
& confessionem ut Pontificum Con-  
cilia uel præcedentia uel futura nobis  
efficiant, spes nulla reliqua est, immo  
rem impossibilem esse Status Augu-  
stanæ Confessionis persuasum habent.

Etiamsi enim præsens hoc Tri-  
dentinum Concilium à Pio III. i-  
dictum, continuatio prioris non esse,  
nec decreta illa blasphema & impia  
confirmari debuissent, (Quemadmo-  
dum tamen re uera factum est) Atque  
Pontifex Romanus aliud liberum, pi-  
um, generale & Oecumenicum Con-  
cilium

cilium ( sicut id uocare consuevit ) indicere uellet : Tamen Status Augustanæ Confessionis, ijs scriptis, quæ publicè ante hac edita sunt , ueras sufficientesq; causas indicarunt , cur Pontifices Romani indicendi Concilij ius atq; potestatem non habeant , cur ea Concilia , quæ hactenus illi instituerunt , uel in posterum indicturi sunt , pia , libera & Oecumenica Concilia dici seu appellari minimè debes ant & possint .

Quod ut manifestius omnes homines intelligant , illæq; causæ præ oculis sint omnium , non possunt Status Augustanæ Confessionis intermittere , quin eas causas in hoc quoque scripto repeatant , latiusq; explicent . Indubitatum est , neminem unquam in Ecclesia ullo tempore , \* præterq; in ultima hac mundi senecta , quantumvis magna & excellens eius fuerit uocatio , tentasse , aut tentare ausum fuisse , ut summū sibi superioritatis ius ac potestatem de uerbo diuino in Eccle-

D 5 sia

ria decidendi , uel indicendi Concilia generalia, in quibus pro sua libidine controversias dijudicaret , arrogaret , sed ita semper in veteri & vetera Ecclesia obseruatum est , Quod penes summum Magistratum , cui diuinitus mandatum est , propagare doctrinam cœlestem , illustrare gloriam Dei , & Idolatricos cultus tollere , atque ita custodem esse primæ ac secundæ Tabulæ , ius indicendi generalis Concilij fuit , scilicet ut eò minus subficeret suspicionum , solumque iuxta normam Verbi diuini decideretur , Nec aliquando sibi quis in Ecclesia præminentiam aut superioritatem præ reliquis raperet ,

Ita in veteri testamento , in populo Dei , Moises , & non Aaron , Iosua , & non Eleasar , Iudices & non Archiepiscopi seu summi Sacerdotes , tam Sacerdotes ac Leuitas quam alios conuocarunt , Idolatricos cultus abrogarunt , & emendationem instituerunt

stituerunt. Similiter à Dauidē magnum illud Concilium in universo populo Iudaico bis indictum est. Idemque fecerunt , Salomon , Asech , Iosaphat , Ioas , Zerubabel , Nehemias , & aliij.

Eodem modo post natum Christum in prima ueteri Ecclesia diutius quam 700. annis circa & post tempora Apostolorum in usus fuit & obseruatum est , quando controuersiae de doctrina Religionis inciderunt , scilicet quod non Episcopi Romani aut Constantinopolitanī ( inter quos longo tempore de primatu dimicatum est ) nec iij , qui postea Titulum Pontificis sibi sumpserunt , Sed Imperatores Romani & Reges uel soli , uel coniuncti cum alijs Princibus , pro temporum ratione , Concilia instituerunt , & dissidentes inter se se partes , unā cum Episcopis conuocarunt.

Sic

Sic Constantinus Imperator Consilium Nicenum, & uterque Theodosius Constantinopolitanum & Ephesinum, Martianus Chalcedonense, Iustinianus Constantinopolitanum inquit dixit, Sic à Carolo magno, Ludouico eiusque posteris, & ab Ottonibus, Henricis Moguntiae, Vuormatiæ, Francofurti & in alijs locis indicta sunt Concilia, Quemadmodum recens Constantiense Concilium, non à Pontifice, sed Imperatore Sigismundo, alijsque Regibus & Principibus institutum ac habitum est.

Nec id ueris & in sacrís literis fundatis rationibus caret. Generalia enim seu universalia Concilia, ad quae totius orbis Christiani homines uocantur, à nemine iustius aut rectius indicí possunt, quam ab his, qui summi Magistratus officio funguntur, quicquid in omnes, quos uocant, ius citandi, atque adeò illos iurisdictioni suæ subiectos habent.

Negari autem non potest, orbis

bis Christiani caput esse Romanum  
Cesarem & Regem, ijsque summam  
iurisdictionem competere, Nec quisq;  
in orbe Christiano aut populo aliquo,  
e regimine Ecclesiastico inter summos  
Sacerdotes, hoc sibi munus arroga-  
uit, Multò minus tempore Apostolo-  
rum, & in ueteri Ecclesia, quādo sum-  
mi Sacerdotis officium finitum fuit,  
eam potestatem ullus Episcopus ha-  
buit, aut habere potuit, siquidem cum  
expresso Christi mandato pugnat, Re-  
ges gentium dominabuntur, Vos au-  
tem non sic.

Et si autem manifestum est, ma-  
gnum politicæ & Ecclesiasticæ potes-  
tatis discriminem esse, Nec Pontifices  
Romanos ullam ciuilem iurisdictionio-  
nem aut superioritatem habere posse,  
(Necq; enim dicto Christi, Paſce oves  
meas, quod insulſe impudenterq; huc  
transferunt, id probatur, Nec Petrus  
Apostolus, cuius successores se esse fal-  
sō iactitant Pontifices, hanc sibi auto-  
ritatem sumvit, sed singulari humilita-  
te mis-

te ministerio inseruuit suo , nec res  
liquis sese prætulit Apostolis , aut  
in illorum sese ingessit uocationes ,  
Imò ipsi Pontifices Romani diutia  
us quam 700. annis post tempora  
Apostolorum nihil aliud , quam  
Pastores & Superattendentes in so  
la urbe Romana fuerunt , Nec uni  
uersales sese nominarunt , Quem  
admodum proprium illorum ius  
restatur , Vniuersalem , ne Romæ  
rum quidem uocandum esse , Idque  
alijs in scriptis Augustanæ Confes  
sionis Statuum Doctores ac Cons  
cionatores prolixè probârunt ac des  
monstrarunt ) Tamen in hisce præ  
fertim postremis Mundi temporis  
bus Romani Pontifices , hunc pri  
matum seu dominationem in Eco  
clesia adfectârunt , omnibusq; sum  
mi & infimi ordinis hominibus in  
orbe Christiano , Tyrannicè leges  
præscripserunt , Vnde liquidò appa  
ret , id ui , nullacq; pia aut honesta  
ratione , maximo cum Ecclesiæ des  
trimens

trimento & exitio ab ipsis fas-  
tum esse. Primum enim manife-  
ste id pugnat cum sacris literis. De-  
inde aliter in ueteri Ecclesia, tempo-  
ribus Apostolorum & Patrum ob-  
seruatum est. Nec attributum esse  
Pontificibus, ullo uel diuino, uel ci-  
vili, & humano iure, ius citandi, &  
indicendi Concilij, tantum abest,  
ut ullam in Status Augustanae Con-  
fessionis iurisdictionem habeant. Ne-  
que enim in Status autoritatem aut  
iurisdictionem illorum agnoscant,  
Imo quam maxime oppugnant, cum  
nullis sacrarum aut humanarum li-  
terarum testimonij nitatur.

Quibus uero artibus Episcopi  
Romani hanc sibi autoritatem contra  
diuina & humana iura & ueteris Ec-  
clesiae consuetudinem rapuerint, qui  
busc fraudibus & imposturis poten-  
tiam suam confirmarint, historiae fa-  
tis testantur. Idemque ex actis Sy-  
nodi Carthaginensis Anno 457.  
& sequentis Constantinopolitanae,  
manu

manifestum est, in qua fuit sanctus Au-  
gustinus, & in eadem Episcopus Ro-  
manus, commisso falso, corruptoq; de-  
creto Synodi Carthaginensis Episco-  
porum Prouincias sibi uendicauit.

Cùmq; Pontifex Socinus, &  
post eum Bonifacius & Celestinus, per  
Legatos suos ursissem, ut Africana-  
rum Ecclesiarum gubernatio & iuris-  
dictio, uigore decreti in Synodo Car-  
thaginensi facti, sibi committeretur,  
inspecto Originali, non tantum nihil  
obtinuerunt, uerùm etiam de falso  
cōmисso grauiter Pontifex à Concilio  
accusatus est, ita ut 100. postea annis  
altum Pontificis Romani de Africanis  
Prouincijs silentium fuerit.

Nec uero est quòd Pontifices  
in grauissimo hoc Religionis nego-  
cio, longam possessionem aut præ-  
scriptionem prætexant, imò pudere  
eos huius Sophistices debebat, cùm  
nullus præscriptioni aduersus diuinam  
Maie;

Maiestatem, eiusq; sacrosanctum uer-  
bum locus sit. Nam si præscriptiones  
& priuilegia quæcunq; contra liber-  
tatem Ecclesiæ, nulla & irrita sunt, (Sic  
enim Scriptores eorum, qui Ecclesiæ  
Pontificiæ patrocinantur, nec ueram  
Christi, sed Romanam illam corru-  
ptam Ecclesiam sequuntur, docent )  
Quanto magis, conuenit, eas præscri-  
ptiones & priuilegia, aduersus Deum,  
eiusq; sacram scripturam locum non  
habere.

Deinde, Non latet omnes sacro  
Romano Imperio, imò orbi Christia-  
no subditos, quam ob causam Status  
Augustanæ Confessionis à Romana  
illa Ecclesia discesserint, quodq; in pu-  
blice à se editis Confessionibus ex fa-  
clarum literarum fundamento abun-  
dè demonstrarint, Pontifices Roma-  
nos præcipuos doctrinæ Christianæ  
articulos in Ecclesia Dei peruerisse &  
corrupisse, uidelicet articulum potis-  
simum de iustificatione, qui est cardo  
et fundamentum salutis æternæ. Dein-

E de,

de, quod in reliquis capitibus, nempe,  
poenitentia, inuocatione sanctorum  
& mortuorum, sacrificio Missæ & con-  
iugio Sacerdotum, multos Idolatri-  
cos cultus & abusus inuexerunt, eoꝝ  
pacto ueram Christi Redemptoris no-  
stri agnitionem, ueramq; inuocationē  
Dei obscurarunt, & oppresserunt, ni-  
hil in locū eius substituerunt aut pro-  
pagarunt, quam dubitationē in con-  
scientijs & idolatriam. Præterea Pon-  
tifices indulgentijs, Iubileis, alijsque  
bulis & diplomatibus & id genus si-  
milibus præstigijs non quæsiuisse glo-  
riam Dei, sed suos captasse quaestus  
& incrementa potentiae, ac uniuersum  
orbis terrarum uarijs imposturis dece-  
pisse & exhausisse, deniq; ex commen-  
titijs suis cultibus mercatum quendam  
effecisse, & infinitorum hominum  
conscientias miserabiliter perturbasse,  
nemini obscurum est.

Magnam quoꝝ in uita ac mo-  
ribus Pontificum eorumq; Satelliti  
turpi-

turpitudinem esse, neq; tantum Ro-  
mæ & alijs in locis, scortationibus,  
adulterijs, Simonia, usuris, et Sodomiz-  
ticiis peccatis ipsos sese polluere Pontifi-  
ces, uerùm etiam datis Remissionum  
& indulgentiarum bullis, alijs ea con-  
cedere, saepius publicè in Conuentib.  
Imperialibus Status Augustanæ Con-  
fessionis questi sunt, sec; eam accusa-  
tionem in Concilio pio & libero re-  
nouaturos esse significarunt.

Ex his apparet, Pontificem cum  
suis adhærentibus hactenus ream  
fuisse partem & adhuc esse. Necesitas  
uerò orbis Christiani postulat, ut à pijs  
minimèç suspectis uiris de causa Dei  
omnium maxima & grauissima, cog-  
nitio ex uerbo eius instituatur.

Hæc cùm ita se habeant, sem-  
per status Augustanæ Confessio-  
nis tale Concilium in Germania fla-  
gitarunt, cuius determinationi &  
decisioni Papa sese subiiceret, Ac  
E 2 cognis

cognitionem de doctrina, uita, & mo-  
ribus suis ferret. Huc Imperatoris Ca-  
roli V. atq; huius etiam Cæsareæ Maie-  
statis omniumq; Imperij ordinū con-  
silia de Concilio instituta fuerunt, Ac  
spes facta est Statibus Augustanæ  
Confessionis, fore, ut eiusmodi libe-  
rum, pium, & ab omni impietate  
Pontificia alienum Concilium indice-  
retur, in quo tam capitis, quam mem-  
brorū reformatio fieret, hoc est, ut ta-  
li Concilio sese subiçeret Pontifex, qui  
sese caput Ecclesiæ esse, falso iactitat.

Verùm neglectis his omnibus,  
nec obstante, quod Pontifex Roma-  
nus in causa Religionis pars rea est, &  
à Statibus Augustanæ Confessionis  
multipliciter accusatus, & in poste-  
rum quoq; accusandus, quodq; Cæsa-  
rea Maiestas & omnes sacri Imperij  
ordines in habitis Comitijs necessariū  
esse duxerunt, ut pij liberiq; Concilijs  
cognitioni Papa sese subiçeret, adduci  
aut permoueri tamen Pontifices non  
potuerunt, ut aliud Concilium ipsi  
ap-

approbarent, quām tale suspectum & factiosum Concilium, cuius non tantum decisionibus minime sese submittant, uerū etiam, quod iniquissimum est, præsides ipsi sint, & decreta pro libidine sua faciant, soliq; quan tumuis grauiter accusati, iudices sint. Atq; ea ipsa commentitia Concilia ideo tantum instituunt, ne cùm scèlera sua, insidias, & fraudes omnibus totius orbis Christiani Regibus perspectas iam esse intelligent, reformatio uniuersalis ab ipsis suscipiatur.

Ea quidem ratione, eoq; proposito, Pontifex Paulus III. & hic Pontifex Pius IIII. Concilium Tridentinum indixerunt, ut supra prolixè ostensum est.

Nec dubium est, omnes pīj Conciliū instituendi uias ac rationes frustrā cum Pontificibus tentari, si quidem animus illis prorsus non est, errores suos, & horrendam Idolatriam uitæq; turpitudinem, in qua tot seculis hæserunt, agnoscere, aut ulli honestæ

piæcꝝ emendationi locum dare, Atqꝝ  
ita oleum operamqꝝ perdituri, Et  
næcqꝝ restinguendæ laborem ( ut in  
Prouerbio est ) suscepturi sint, qui id  
in posterum efficere conabuntur.

His accedit, quod in omnibus  
Pontificum Concilijs, & in hoc à Pio  
III. indicto Concilio, Cardinales,  
Episcopi, Abbates, Monachi & id ge-  
nus alia monstra, solum præfunt, ac  
uocem decisiuam habent, aliqꝝ omnes  
cuiuscunqꝝ Status à Pontifice non ap-  
probati, excluduntur. Nec ulla spes  
reliqua est, fore ut Pontifices alijs  
quoqꝝ pijs & doctis uiris, qui iurisiu-  
randi Religione illi obstricti non  
sunt, uocē decisiuam in causa Religio-  
nis concedant, aut ullam consultandi,  
determinandi, & decidendi potesta-  
tem faciant, Id Bullæ inductionis, quas  
Pontifices in publicum edere solent,  
comprobant in quibus hęc sunt uerba.  
*Venerabiles fratres nostros, omnia*  
biss

bus ex locis, Patriarchas, Archie-  
piscopos, & dictos filios Abbates,  
ceterosq; quibus in Concilio genera-  
li sedere & sententiam dicere, iure  
communi, vel ex Priuilegio, vel ex  
antiqua consuetudine licet &c.

Nec uero cuiquam mortalium  
obscurum est, quam horrendis iura-  
mentorum vinculis, Cardinales illi,  
Episcopi, & Sacerdotes, Pontificibus  
obligati sint. Hac enim usitata iura-  
menti Episcoporum formula est.

Ego N. Episcopus &c. ab  
hac hora, ut ante, fidelis ero S. Pe-  
tro, sanctæq; Apostolicæ Romanæ  
Ecclesiæ, Domino meo Papæ, eiusq;  
Successoribus Canonice intrantibus.  
Non ero neq; in consilio neq; in facto  
ut vitam perdat aut membrum, vel  
capiatur mala captione consilium,  
quod mihi aut per se aut per literas  
aut per nuncium manifestabit, ad

E 4 eius

eius damnum nulli pandam , Papas  
tum Romanæ Ecclesiæ , & regulas  
sanctorum Patrum adiutor ero ad  
defendendum & retinendum ( salvo  
ordine meo ) contra omnes homi-  
nes &c.

Imò & alia noua Iuramenti for-  
ma extare dicitur , in qua Episcopi iur-  
rant , se omnia illa , quæ contra Papam  
deliberantur aut tractantur , reuelatu-  
ros , ac pro viribus suis impedituros ,  
& hæreticos omnesq; Pontifici rebel-  
les persecuturos esse . Eadem iurisius-  
randi Religione Doctores Theologi-  
cæ facultatis & Canonistæ ( ut uocant )  
astringuntur , scilicet defensuros se  
Statum Pontificium & Regalia S. Pe-  
tri contra omnes homines , & conser-  
tuaturos autoritatem & libertatem Ro-  
manæ Ecclesiæ . Ex quibus facile collis-  
gi potest , nihil dicturos aut facturos in  
Concilij & grauissimis de Religione  
deliberationibus Episcopos , quam que  
Pontifici placeant , & ad tuendam au-  
gendamq;

gendarum illius potentiam spectare  
videatur.

Cæterum, nec liberum, nec pium  
Conciliū dici meretur, à quo maxima  
pars eorum, ad quos ea res pertinet Cæ-  
sar uidelicet, Reges, alijcū orbis Christia-  
ni potentes Principes & viri doctrina  
præstantes arcentur et excluduntur. Pu-  
gnat enim id cum uera et propria gene-  
talis Conciliij conditione, communicū  
omni Religionis causa, quæ ( si uer-  
bi diuini & rectæ rationis iudicium se-  
quimur ) communī omnium consilio  
& auxilio, cùm ad omnes spectet, tra-  
stanta est. Atcū ita ab Apostolis &  
Patribus primæ & ueteris purioris  
Ecclesiæ obseruatum esse, sacræ te-  
stantur literæ.

Cùm enim inter Apostolos dis-  
sensio orta esset, An qui Christi fidem  
conferentur, circumcidendi essent,  
missi sunt Legati non tantum ad Pe-  
trum & alios Apostolos, sed ad totam  
Ierosolymitanam Ecclesiam. Nec le-  
gitur scriptum, aliquam Petrum A-

E 5 postu-

postolum præ reliquis prærogatiuam  
seu præminentiam habuisse, sed quod  
ab omnibus Apostolis & senioribus  
populi decretum sit, Circumcisionem  
ad salutem & salvationem necessariam  
non esse.

Similia extant exempla innume-  
ra, quod postea etiam apud sanctos  
Patres, non solum Episcopi & Clerici,  
uerum etiam Cæsares, Reges, Princis-  
cipes, & alij homines docti, laici &  
priuatæ personæ obscurioris conditio-  
nis ad concilia uocati, auditii, & ad de-  
cisiones admissi sunt, prout Ecclesia-  
sticæ & aliæ probatæ historiæ testan-  
tur.

Adhæc certum est, Concilium ali-  
ud nihil esse, quam et immunem con-  
gregationem orbis Christiani, seu Ec-  
clesiæ Dei. Quapropter cum Laici  
non minus quam clerici sub numero  
Christianorum comprehendantur, ut  
qui in mortem filij Dei redemptoris  
nostrí Baptisati sunt, quam ob causam,  
quouelure, a consultationibus et deci-  
sionis

sionibus ad fidem Christianam perti-  
nentibus, remouebuntur, præsertim  
cum fieri possit, ut uera in Deum si-  
des, in pectore simplicioris tenuiorisq;  
fortunæ hominis constans & durabilis  
sit. In alijs uero sapientioribus & po-  
tentioribus extinguitur.

Ita in Concilio Niceno per solum  
Paphnutiū defensum est contra mul-  
tos coniugium Sacerdotū, Quam ip-  
sam ob causam Canoniſtæ illorum de-  
cidunt, In causa religionis unius priua-  
ti opinionem Pontificis opinioni præ-  
ferendam esse, si meliore sacrarum lite-  
rarum, & noui testamenti fundamen-  
to nitatur.

Porrò supra dictis illud coniun-  
ctum est, quod Pontifices non uolunt  
concedere, ut decisiones Conciliorū  
ex uerbo Dei, sed iuxta humanas tra-  
ditiones & commentitios cultus ac  
Canones, Denicq; iuxta Romanæ Ec-  
clesiæ cōsensum fiant. Tale fuit decre-  
tū prioris, & huius Cōciliij Tridentini.  
Initio enim huius Concilij, Pontificij  
præ-

Præsides & Assessores id maximè ur-  
sissile feruntur, ne determinatio secun-  
dum diuina, sed secundum autorita-  
tem Apostolicæ sedis fiat, Idemq; in  
omnibus alijs Synodis eos facturos  
esse certissimum est.

Cæterū indubitatum est, in  
pīo Concilio Christum, eiusq; sacro-  
sanctum uerbum, uocem decisiuam  
habere debere, omnesq; controuer-  
sias, ex uerbo Dei, non secundum hu-  
manas traditioñes aut speculations  
cum Verbo pugnantes, dijudicandas  
& decidendas, ueritatemq; defenden-  
dam, ac Idolatriam Antichristi publi-  
cē taxandam & execrandam esse, adeò  
ut unius aut duorū sententia in uerbo  
Dei fundata, plus ponderis et autorita-  
tis habere debeat, quam multorum,  
inīo reliquorum omnium, qui sacrarū  
literarū testimonijs destituuntur, sicut  
ex Actis cap. 25. & supra dicto Paph-  
nutij exemplo patet. Æterno enim  
immotoq; uerbo Dei omnes humanz  
tradis

traditiones cedere debent. Evidem  
ideo in Concilijs p̄is multi homines  
congregantur, non ut in Religionis fi-  
deis causa uotorum aut suffragiorum  
pluralitate ac numero uincant, sed eò,  
ut si inter multos aliqui reperiantur  
uerbi diuini gnari, eos cum Doctore  
Christo, non alios, etiamsi multitū-  
dinem arenæ in mari numero æquent,  
audiamus & sequamur, sicut inquit  
Psalmus: Lucerna pedibus meis uer-  
bum tuum.

Immota enim & immutabilis  
ueritas est, solum Dei uerbum, uerum,  
firmum & perpetuum, è contra ue-  
rò, omnes homines mendaces esse,  
omniumq; hominum consilia & de-  
creta, quantumnis sapienter instituta,  
& humana autoritate munita sunt,  
hallucinari, & errare posse, uerbocq;  
Dei cedere, & illi subiecta esse debere,  
iuxta dictum Christi, Cœlum & ter-  
ra transibunt, uerba autem mea non  
transibunt.

Multis

Multis quoq; Conciliorum exemplis probari ac demonstrari potest, etiam Concilia errasse, & decreta cum uerbo Dei pugnantia fecisse. Quæ causa est, quod illa ipsa decreta tanquam impia & sacræ literis aduersa, ab Ecclesia reuocata & condemnata sunt. Sic in Concilio Carthaginensi, quod fuit proximum ante Nicenam Synodum tempore Cypriani, decretum est, Baptisatos ab Hæreticis denuò baptizandos esse.

Similia decreta impia in Concilio Syrmiensi & Seleucensi, sub Imperatore Constantino facta sunt, de quibus extat scriptū, cum Imperator Constantinus Episcopos Niceam uocasset, ut nouū dogma contra prioris p̄ij Concilij Niceni decreta statueret, horribili terræmotu eos dissipatos esse. Postea tamen nihilo minus in Seleucēsi Synodo tetrū & blasphemū de ore tum factum est, Christum non esse patrem omnipotentem, seu consubstantialēm,

Synod

Synodus Ariminensis, atq; alia  
quædam Concilia ímpium dogma  
Arrij approbârunt. Concilium uero  
Ephesinum secundum, Eutichetis hæ-  
resin probauit.

Quinta Synodus Carthaginen-  
sis, inuexit Sacrificia pro uiuis & mor-  
tuis, quæ horribilis ímpietas & blas-  
phemia est. Et Synodus Mileuitana  
Prohibuit coniugia, possentq; plurima  
alii exempla adduci, de ueteribus  
Concilij, quæ crassos confirmârunt  
errores contra uerbum Dei. Receu-  
tiora uero Concilia sæpè Idolatricos  
cultus stabilierunt, sicut factum est in  
Lateranensi, in quo transubstantatio  
panis & uini in coena Domini, contra  
Sacram scripturam, priora Concilia, &  
ipsam Christi institutionem, primùm  
excogitata & approbata est, similiterq;  
error de enumeratione omnium dea-  
litorum confirmatus est.

Postremò, ut summatim dicantur  
omnia, non alligauit D E V S  
cognit

cognitionē, Religionis ad titulum uel  
successionem Episcoporum, aut ul-  
lam sapientiam, autoritatem, & poten-  
tiam cuiusq; , sed ad uerbum suum  
traditūm per Prophetas & Apostolos,  
sicut ostendit exemplum summorum  
Sacerdotum, & aliorum in Cathedra  
Moysi sedentium, qui Prophetas, itnō  
ipsum Christum & Apostolos perse-  
quebantur, & interficiebant, Non ob-  
stante, quod externa quidem specie,  
illi ipsi, ordinarii Episcopi & Sacerdo-  
tes erant, ac multo maiora testimonia,  
maioresq; promissiones habebant,  
quam nunc Pontifex Romanus,  
eiq; adhærentes.

Impossibile igitur est , aliud ce-  
lebrari pium Concilium posse , quam  
id, in quo Regula ac norma delibera-  
tionum & decisionum est doctrina  
Christi , & non traditiones huma-  
næ, antiqua consuetudo , consensus,  
uel autoritas , & uotorum plurali-  
tas.

Verbum

Verbum enim Dei fundamentum fidei  
& doctrinæ Christianæ est, ad quod  
omnia Concilia ab impietate aliena  
regulari & dirigi debet. Illud uero nemo  
Pontificum unquam concessurus  
est, siquidem illi de primatu ac uicaria-  
riatu (ut uocant) contendunt. Neque  
enim ignorant, omne in hoc Pontificij  
nominis, honoris, dignitatis, autorita-  
tis, opum, ac potentiae suæ, Imo omniū  
eorum, de quibus in hac postrema  
Mundi senecta, uelut Antichristus, de  
quo Daniel uaticinatus est, tam uarijs  
artibus ac machinationibus contra  
Imperia, Cæsares, Reges, ac Princi-  
pes, quos pessundare non desinunt,  
dimicant, momentum positum esse.

Ad supra dictas causas, propter  
quas Status Augustanae Confessionis  
Pontificum Concilia oppugnant &  
auersantur, etiam aliae accedunt, non  
parui ponderis, apud intelligentes &  
politicos viros, quæ in legibus ciuilis-  
bus fundatae sunt, Videlicet quod  
F Pona-

Pontifices Romani statuum Augustanæ Confessionis capitales & infensissimi hostes sunt, Eosq; iam dum, & in hoc ipso præsentí Concilio, inauditos statim in initio ante determinationē, pro haereticis condemnarunt, nullaq; intentione alia Concilia indicunt, quam ut condemnationum illorum executio sint.

Negari autem non potest, uel propria ipsorum lura statuere, neminem cogi coram tali iudice compare, Omnemq; sententiam ante causę cognitionem latam, nullam & inualidam esse. Quantò igitur magis in hac causa id uerum est, in qua Romani Pontifices Statuum Augustanæ Confessionis Iudices planè non sunt, Siquidem nullo sacrarum literarum uel Iuris etiam humani fundamento, sed de facto tantum hanc sibi iurisdictionem arrogarunt, Iustissime igitur suspecta illa, factiosa, & impia Pontificum Concilia detrectant, cùm inquis

quis præiudicij famdudum, à Pontificijs grauati, & ante causæ dijudicationem absentes condemnati sint.

Nec caret suspicione, quod Pontifices, sua plerunq; Concilia in locis sibi tutis ac cōmodis instituunt tantum nempe, in Italia, nulla habita ratione Cæsareæ Maiestatis & ordinum sacri Romani imperij, à quibus eti decretum est, Concilium generale, pium ac liberum in Germanica natione indicendum esse, Imò Cæsarea Maiesta. ab hoc ipso Pontifice Pio IIII. missis legatis, ut hoc fieret, contenderit, nihil tamen Cæsarea ipsius Maiestatas obtinere aut impetrare potuit, nec, ut uerae religioni addicti Príncipes persuasum habent, obtinebitur unquam. Plurimum enim illorum interest, ut in uicinia, & quasi ad latus habeant Concilia sua, nimirum ut Assessores suos instituerent, quibusq; suffragijs & uotis uti debant, sine mora & impedimento edo-

cere, decreta pro libito inflectere, mustare, & legatos ad omnia artificiose subornare, Deniq; in omnem euentum à Concilij decretis sibi aduersis, tuti ac muniti esse queant. Proinde Status Augustanæ Confessionis sèpè indicarunt causas, cur locus Conciliorum hactenus indictorum ipsis suspectus ac periculosus sit, ad quæ breuitatis studio lectorem remittunt,

Cùm igitur ea sit Conciliorū Pontificiorum ratio, quòd Pontifices inductionis Ius, ex Iurisdictionis defensu non habent, Et officio Iudicis fungi nequeant, cùm à sacrī literis hæreſeos conuicti, & multorum sceleslerū rei sint. Quòdq; suis tantū Aſſessoribus, Cardinalibus & Episcopis uocem decisiuam in Concilio concedunt, nec alios decisionibus interesse finunt, Atq; illas ipsas non è uerbo Dei, sed humanis traditionibus faciendas esse contendunt, Deniq; quòd

quòd hosce status ante cognitionem  
& decisionem inauditos condem-  
nant, Necq; concilijs suis gloriam Dei  
& propagationē uerbi ipsius promo-  
uent, sed omni neglecta emendatione,  
nihil nisi quod ad autoritatis, digni-  
tatis, opum, atq; potentiae suae splen-  
dorem augendum confirmandumq;  
spectare uidetur, quærunt, & blasphe-  
mias Idolatricosq; cultus stabiliunt,  
ac leges pro sua libidine in Ecclesia  
figunt & refigunt, Atq; ita generali-  
um, piorum, liberorum, & Oecume-  
nicorum conciliorum titulo mini-  
mè digna sint:

Omninò persuasum habent Sta-  
tus Augustanæ Confessionis, Cæsa-  
ream Maiestatem, omnésque Re-  
ges, & ordines sacri Romani Imperij  
excusatos sese habituros, quòd eius-  
modi suspectis, illegitimisq; Concilijs  
sese subiçere detrectant, necq; illis in-  
teresse, sed potius quantis possunt  
conatibus aduersari statuerunt.

F 3      Necq;

Nec .n. tantum ut id faciat, priuatis  
uitae suae suorumque subditorum com-  
modis , uerum etiam conscientia &  
sollicitudine de salute aeterna, ac man-  
dato diuino mouentur , Cum haec  
causa non ad ipsos tantum pertineat,  
sed gloriam & agnitionem DEI  
concernat. Quae causa est, quod cum  
factura diuinæ Maiestatis & uerae Ec-  
clesiae, nihil aduersarijs largiri possunt,  
Imò officij ratio ab ipsis postulat, ut  
in agnita Euangelijs ueritate ipsis cons-  
tanter perseverent. Nec enim uel  
Ecclesiam ueram deserere, uel pro  
immenso hoc beneficio accepto in-  
grati esse DEO, ac consensu suo Con-  
cilia, quibus nihil nisi Euangelicae uer-  
itatis oppressio, ac publicæ pacis &  
tranquillitatis conturbatio tentatur,  
approbare , salua conscientia , illæsq[ue]  
diuina Cæsareaq[ue] Maiestate debent  
aut possunt.

Nec causas tantum honestas ac ne-  
cessarias huius sui propositi habent,  
uerum

uerūm etiam exempla extant præclara in Ecclesia sanctorum Patrum, qui Synodos detrectarunt, quando non veritatem quæri, sed Idolatriam stabiliri animaduerterunt, etiamsi indicæ fuerunt à summis magistratibus & ipsis Cæsaribus. Sic Chrysostomus Concilium aduersus se indictum recusavit. Similiter Cirillus fugit ea Concilia, in quibus uerbum illud de filio Dei (οὐοδσιοψ) oppugnatum est, obiectis sacræ scripturæ sententijs, & interposita appellatione. Athanasius quoq; etiamsi Tyrumi in Concilium uenerat, statim tamen ad Imperatorem inde discessit, quia uidebat præcipua os Concilij præsides, iudicis & partis munere functuros, ac certos ab illis calumniatores subornatos esse, qui ipsum accusarent.

Indicta quoq; ab Imperatore Constantino Antiochena Synodo, Maximus, Episcopus Hierosolymitanus isthuc non uenit, licet uicina esset

F 4 Anti-

Antiochia, Norat enim uoluntatem  
Constantini Ariana hæresi infectam,  
& Arrianorum dolo & imposturis le-  
ductam esse. Eodem exemplo, Epis-  
copi Occidentales, postquam intellexe-  
runt Arrianos magno numero ades-  
se, ad Synodum Syrmensem in Hun-  
gariam uocati non uenerunt.

Similiter Paulinus Episcopus  
Treuirensis à concilio Mediolanensi  
discessit, postquam sensit, Auxentium  
Episcopum cum suo satellitio insidiosa  
tractare consilia. Huiusmodi exempla  
multa in Ecclesiasticis alijsq; historijs  
reperiuntur.

Siquidem igitur Patriarchæ ad  
impia & suspecta Concilia non ac-  
cesserunt, etiamsi à summis magistra-  
tibus & Imperatoribus indicta fue-  
runt, satis quoq; causæ habent Augu-  
stanæ Confessionis status, quod im-  
pia & illegitima Pontificum Roma-  
norū Concilia (quæ nullo diuino hu-  
manoq; luce ab ipsis institui possunt)  
præsen-

præsentia sua non approbant, sed potius, quantum possunt, impediunt & oppugnant.

Nolunt tamē sæpius nominati Status, hæc ita accipi, ac si debit is in locis, fidei, & doctrinæ suæ rationē reddere vereantur, uel piorum & doctorum in sacra Scriptura uirorum iudicia & cognitionem ex uerbo Dei defugi-  
ant, nec ulla libera, Oecumenica, legi-  
tima, & pia Concilia eorumq; decreta  
sacris consentanea literis ferre queant.  
Necq; enim ipsi ignorant, quibus me-  
dijs uetus & uera Ecclesia ad tollendas  
Religionis controværias semper usa-  
lit, quodque præcipuum ex ijs fuerit  
Conciliorum piorum indictio.

Hanc ergo ob causam, nunquam  
a Consilijs & rationibus sese ijs sciun-  
xerunt, quibus consensio & concor-  
dia de religione iniaretur, necq; in po-  
sterum id facturi sunt. Ac meminit  
Cæsarea Maiest. sæpè Status Augu-

stanæ Confessionis ad libera, & pia  
Concilia prouocasse.

Quibus uero conditionibus &  
qualitatibus, tale Concilium instituen-  
dum sit, saepius in Comitijs Imperialis-  
bus deliberatum est, & ostensum Cæ-  
sareæ Maiestati, aliter exortis in Ec-  
clesia dissidijs remedia quæri non  
posse, quam si ihs conditionibus Sy-  
nodus pia indiceretur.

Vt autem de sententia & uolunta-  
te statuum Augustanæ Confessionis  
constet omnibus, quale scilicet Con-  
cilium expertant, quodq; nihil iniur-  
atum aut iniquum postulent, non  
possunt non eas conditiones & qualia-  
tates hoc loco repetere.

Ac primò quidem ad indicen-  
dam piam Synodum maximè necessa-  
rium esse ducunt, ut omnia ea decre-  
ta, Quæ in Synodis Tridentinis facta  
sunt, profusè medio tollantur, abo-  
leantur,

leantur, & irrita esse publicè denun-  
cientur.

Deinde, ut sit generale & Oecu-  
menicum concilium, & in Germania  
loco quocunq; oportuno conuocetur,  
non à Romano Episcopo, qui etiam  
governator, præses, ac Iudex Synodi  
esse non permittatur, sed controuer-  
tentū pars altera censeatur, & Synodi  
iudicio subiectus sit. Sicuti id ab om-  
nibus omnium temporum & ætatum  
viris prijs, doctis, & bonis, & neutri  
parti addictis Ecclesiarum doctori-  
bus, & aliquibus etiam Imperatoribus  
(ut consentaneum communī rationis  
iudicio) æquissimum esse iudicatum  
est, ne quis simul & partis & iudicis  
personam sibi sumat aut arroget.

Tertiò, ut sola uox diuina, tradi-  
ta scriptis Propheticis & Apostolicis  
norma sit, secundum quam in Conci-  
lio iudicetur, non Romanorum Pon-  
tificum decreta & traditiones, nō lon-  
go tem-

go tempore receptæ & inueteratæ consuetudines , quarum pleræq; scri-  
ptis Propheticis et Apostolicis contras-  
riæ sunt, & falso titulo consensus uni-  
uersalis uendantur, cùm sint solius  
Pontificiæ Romanæ Ecclesiæ, & quia  
dem non longissimi temporis, sed ad-  
modum recens in erroribus & abusis  
bus consensus impius & iniustus.

Præterea ne determinatio seu de-  
cisiō Synodi penes uotorum & suffra-  
giorum pluralitatem , ad instar politi-  
corum negotiorum instituatur, sed ut  
iuxta normam uerbi diuini pronunci-  
etur.

His accedat, ut Pontifex Roma-  
nus, Archiepiscopos, Episcopos, Pra-  
latos , & alios ipsi iuratos & adstrictos  
à iuramentis illis absoluat, ut libere &  
sine periculi cuiuscq; metu , sententias  
dicere, & testimonia ueritati ferre que-  
ant.

Theologi quoq; Illusterrimorum  
Principum ac Statuum Augustanæ  
Cons

Confessioni coniunctorum non minus quam Episcopi in Concilio audiuntur, & ad deliberationes rerum controversarum adhibeantur, ac sententias & uoces decisius proferre permittantur.

Porro, ut illi ipsi Illustrissimorum Principum Theologi, & his adiuncti Oratores & Legati, & alij omnes, qui ad Concilium accessuri sunt, toto illo tempore, quo uel ad Synodum ueniunt, uel ab ea discedunt, sub tutela & defensione Cæsareæ Maiestatis sint, eaq[ue] de re, publicæ fidei, seu salui conductus literis assecurentur, quas quidem non solum personis, sed & ipsi causæ principali, iuxta publice conditum & consensu imperij confirmatum de religione decretum, tribui æquissimum est. Nam ut maximè sui suæq[ue] uitæ ac salutis rationem Illustrissimi Principes ac status Augustanæ Confessionis habere nolint, Causam tamen ipsam, quam Dei propriam esse intelligunt, sua aliqua uel negligentia, uel cons

concessione iniusta, prodere aut pro-  
stituere hostibus Dei non debent aut  
possunt.

Tale liberum & pium Concilium  
si (ut in uotis habent totoq; pectore  
optant Augustanæ Confessionis sta-  
tus) diuina ope, indiceretur, summa  
uoluntate ei interesse, ac decisionibus  
illius se se subiçere uellent, spe haud du-  
bia, fore ut talis Synodus ad illustran-  
dam gloriam Dei, & ueram illius agni-  
tionem ac propagationem, firmamq;  
de religione confessionem ac concor-  
diam stabiliendam, plurimum mo-  
menti adferret.

Sin autem, præter spem & expec-  
tionem, pro horum temporū ratione,  
Synodus eiusmodi, cum ijs conditio-  
nibus ac qualitatibus, institui non po-  
terit, quemadmodū Cæsareæ Mai. &  
sacri Rom. Imperij ordinibus in proxi-  
mis Comitij Augustanis uisū est, opes  
ram tamen suam de suscipienda noua  
deliberatione Cæsareæ Mai. quocunq;  
tempore offerunt status, qua nimirum  
ratione

ratione, infausta religionis dissidia tandem sopianuntur, & concordia salutaris restituatur.

Interea uero, & in suspenso hoc res*rū* statu certa stat Augustanę Confessi*onis* statibus sententia, se nihilo minus Passauiensis transactionis pacta, atq*ue* subsecutū de religione ac pace publica decretū, firmissimum perpetuoq*ue* ducaturum, prout communī omniū Imperij ordinum consensu, Anno 55. Augustae statutum est, sancte religiose que seruatores esse, nec dubitat, Cæsarēam Maiestat, reliquosq*ue* Imperij E*lectores*, Principes et ordines idem facturos, minimēque concessuros esse, ut insidiosae & uiolentiae Pontificum machinationes, aliquod salutaribus Imperij cōseruandi consilijs, sub specie ac prætextu Concilij, impedimentum adferant.

Postremo magnoperè à Cæsar. Mai. D. suo clementissimo reliquisq*ue* orbis Christiani Regibus, principibus, omnibusq*ue* sacri Ro. Imperij ordinibus

bus petunt ac contendūt, atq; eos quib;  
bus uera religio curæ ac cordi est, hora  
tantur, ut seria animi inductione, ardē  
ticq; studio sincerā religionem comple  
ctantur, nullasq; cōcordiē ineundē ra  
tiones negligant, quibus gloria Dei il  
lustretur, omnibusq; mortalibus ad  
ueram Christi agnitionē uia aperiatur,  
liberq; ad uitam æternam aditus non  
intercludatur, nec crudelitas contra in  
nocentē sanguinem, religionis causa,  
exerceatur, tūm quod diuinæ id uo  
luntati maximè consentaneum est,  
tūm uero etiam, quod omnium ea in  
re salus sita est.

Vota etiam ad Deum æternum  
patrem domini nostri Iesu Christi faci  
unt, ut omniū hominum summæ atq;  
infimæ sortis animos & pectora ad ue  
ram pietatem, moderatioem, tranquil  
litatem, et concordiam Spiritu suo  
sancto flectat, regat &  
gubernet.

*FINIS.*

*RE*

# RESPONSVM

DATVM LEGATIS  
PONTIFICIIS ZACHA-  
rie Delphino Episcopo Pharense patricio Ves-  
neto, & Commandeno Episcopo Iacen-  
thimo, in conuentu Naumbur-  
gensis, Anno 1561.



Llustrissimi sacri Romani  
Imperi Electores & Prin-  
cipes, Illustrissimorum Es-  
lectorum & Principum  
Legati ac Consiliarij, ad  
orationem ueltram, qua Pontificis  
Romani mandata exposuistis, hoc re-  
sponsum uobis dari iusserunt: Non  
dubitare se, quin multi omnium gens-  
tium toto orbe terrarum uiri docti, fa-  
pientes & piij, iam dudum meliorem  
Ecclesiæ statum optârint, & nunc  
quocq; anxia ad Deum uota faciant, ut  
tandem doctrinæ puritas restituatur,  
& terti in Ecclesiam inuecti abusus,  
pia emendatione tollantur. Quod ip-  
sum Pontificibus Romanis in sua lu-

G              risdi-

risdictione præcipue curæ esse debet  
bat, qui Ecclesiæ titulum tam longo  
annorum spatio magnifice sibi arro-  
gârunt. Verum quibus ipsi potissimum  
rebus semper occupati fuerint, nimi-  
rum dominandi cupiditate, regnisc-  
inter se committendis, & superstitioni-  
bus in Ecclesia cumulandis, magis  
quam illustrandæ gloriæ Dei, sanan-  
disq; Ecclesiæ morbis, obscurum bo-  
nis omnibus non est, & multos Pon-  
tificio nomini addictos viros sapietes,  
fateri necesse est. Mirantur autem illuz-  
trissimi Electores & Principes, absen-  
tumq; legati, qua uel opinione persua-  
sus, uel spe fretus Pontifex Pius III.  
missa hac Legatione, Celsitudinibus  
suis conciliij indictionem obtrudere,  
eosq; Tridentum uocare ausus fuerit.  
Necq; enim ipsum Pontificem & uos  
ignorare, quam religionē Status Au-  
gustanæ Confessionis amplectantur,  
Quibusq; de causis Ecclesiæ suas, iux-  
ta sinceram Euangelij doctrinam re-  
purgare, & se ab eo cœtu, qui oppres-  
sa doctrinæ coelestis ueritate, suam po-  
gius

tiis quā Christi gloriam querit, seiu-  
gere coacti sint. Sic igitur Pontificem  
ac uos statuere Illustrissimi Principes  
uolunt, non agnoscere se Romanæ se-  
dis autoritatem, certoque certitudinibus  
suis, diuini ac humani iuris indubita-  
tis testimonij persuasum esse, concilij  
indicendi ius Pontificem Romanum  
non habere. Iudicis enim officio fun-  
gi & controversias dirimere eum, à  
quo dissensiones & distractiones in  
Ecclesia ortae sunt, quicque manifestam  
ueritatem crudeliter oppugnat, fas nō  
esse, & humana dictat ratio, & diuini  
humanique iuris scripta testantur. In-  
juste etiam oratione uestra sele taxari  
Illustrissimi Principes adfirmant, quod  
nullam fidei certitudinem habeant, sed  
tot nunc sint Euangelia, quot docto-  
res, tot religiones quot uoluntates. Ex-  
tat enim non solum de omnibus fidei  
articulis, perspicua ipsorum Confessio,  
Imperatori Carolo V. Augustæ anno  
30. exhibita, uerum etiam uarijs ha-  
cenus editis scriptis, cœlestis doctrine

ueritas illustrata & propagata est. Quibus autem erroribus Romana nunc Ecclesia imbuta, quamque tetrī ab usibus & superstitionibus uera Euangelij doctrina oppressa sit, ut Ethnicae quam Christianæ Religioni similius esse videatur, uniuersi orbis terrarum querelæ satis testantur. Cūmque non ex errore lapsi, nec temeritate, curiositate, aut prauis cupiditatibus, sed seuerissimo Dei mandato, quo præcipitur, Idola fugienda esse, impulsi Germanie Principes, à Romana Ecclesia discesserint, constanter in ea sententia perseueraturi sunt, nec ulla sibi à Pontifice leges præscribi patientur. Nullius enim autoritatem uel Iurisdictionem, quam Imperatoris sui, Cæsaris Ferdinandi, agnoscunt, cuius Legatis, quam ipsi de Concilio Oecumenico ac generali celebrando spem ac sententiam habeant, coram hīc exposuerunt. Quod uero ad uos attinet, ita uobis omnino ut persuadeatis, celsitudines ipsorum uolunt, Nisi Pontificiæ legaz


legationis munus nunc quidem obijſ ſetis, omnia celsitudines ipsorum cle-  
mentiae ac benevolentiae studia & ob-  
ſequia, uobis ex nobilissimis Venetorū  
familijs ortis, præſtituras fuifſe, tūm  
quòd erga ampliſſimam Venetorum  
Rempub. animo adfecti ſunt beneuo-  
lo, tūm uero etiam, quòd uos ob ge-  
neris nobilitatem, doctrinæq; ac  
ſapientiae laudem, fauore  
ſuo dignos eſſe, ipli  
profitentur.

*FINIS.*



VITEBERGÆ EXCV.  
DEBANT HÆREDES  
GEORGII RHAVV.

A 1428225



A